PISCHINGER

DE ARBITRIS ATHENIENSIUM PUBLICIS

1893

De

arbitris Atheniensium publicis.

Scripsit

Dr. Arnold Pischinger.

PROGRAMM

des

K. Luitpold-Gymnasiums in München

für das

Studienjahr 1892/93.

München.

Buchdruckerei von J. B. Lindl (vormals Max Wild).

1893.

De arbitris Atticis Hudtwalcker[1]) primus quaestionem instituit ineunte hoc saeculo, cum viri docti antiquitatibus Graecis diligentius studere incipiebant. Quamquam igitur in multis laudandus est[2]), quid mirum, si non in omnibus verum invenit? Nam praeter oratores Atticos et grammaticorum lexica fontes antiquitatis ei deerant.

Inde studiorum materia aucta est inscriptionibus[3]), in quibus titulus a Rossio[4]) editus imprimis documento erat, multa in his quaestionibus etiamtum obscura esse et incerta.

Qua cogitatione motus M. H. E. Meier[5]) eandem rem denuo tractavit. Sed in exordio disputationis suae eis, quae profecerat, minime se contentum esse confitetur. Immo alios hortatur, ut remotis ab ipso ruinis novam quandam molem exstruere conentur.

Nec defuerunt, qui id se effecturos esse rati sententias eius corrigerent, velut Bergk[6]) et Westermann[7]). Qui coniecturis audacibus magis quam cauta argumentatione lacunas explere studebant. Sed ea ratione res non modo non multum provecta est, sed causae simplicissimae intricatae et obscuratae sunt et materia dispersa magis quam collecta est.

Itaque totam rem rursus inquirere Bernhardo Huberto[8]) non inutile videbatur. Hic maiore fiducia, quam olim Meier, in fine

---

[1]) Über die öffentlichen und Privatschiedsrichter — Diäteten — in Athen und den Process vor denselben. Jena 1812.

[2]) cf. Meier, Privatschiedsrichter p. 1; Bergk, Zeitschrift f. d. Altertums-Wissenschaft 1849, p. 265.

[3]) Enumeratae in C. Fr. Hermann, Lehrbuch d. griech. Staatsalt. 6. Aufl. von Thumser, I, 2. (Freiburg i. B. 1892). p. 591 adn. 1.

[4]) Ross, Demen von Attica p. 20; C. J. A. II, 2, p. 356.

[5]) Die Privatschiedsrichter und öff. Diäteten Athens, sowie die Austrägalgerichte in den griech. Staaten des Altertums. Halle 1846.

[6]) Zeitschr. f. d. Altertumswissenschaft 1849 p. 265 sq., idem Rhein. Museum VII, p. 130 sq.

[7]) Berichte über d. Verhandlungen der K. Sächs. Ges. d. W. zu Leipzig 1849. p. 432 sq.

[8]) De arbitris atticis et privatis et publicis. Lipsiae 1885.

libelli (p. 57) ad fructus laboris sui respexit. Nec immerito. Nam prudenti iudicio omnia, quae tum exstabant, in unum coëgerat, et sic rem contemplatus, si quid certum et firmum videbatur, omnibus dubitationibus exemerat.

Quae merita magister eius doctissimus J. H. Lipsius[1]) non sine laude commemoravit. Hic enim non multo post Hubertum in appendice I. libri sui praeclarissimi[2]), quo de toto iure Attico et de omnibus rebus apud iudices agendis accuratissime nos docet, et de arbitris publicis verba fecit. Nec vero via et ratione rem explicavit, sed paucis gravioris momenti quaestionibus diligentius tractatis, nonnullis leviter astrictis, cetera silentio comprobare videtur. Multa praeterea suis locis supra commemoraverat. Sed continuam de arbitris Atticis doctrinam in illo libro frustra quaesiveris.

Quae autem causa est, cur tam brevi temporis intervallo post illorum quaestiones idem studium mihi proposuerim? Liceat paucis ad haec respondere.

Meier olim doluit (p. 1) quod Harpocratio[3]), cum Aristotelem in libro de republica Atheniensium de arbitris locutum esse diceret, locum ipsum non tradidit.

Ecce nunc in Aristotelis libro nuper invento illum locum habemus, nunc nova lux studiis antiquitatum affulsit, nunc via per invias adhuc et impeditas regiones monstrata est. Toto fere capite LIII. illius libri celeberrimi arbitrorum munera describuntur, aliis locis (cap. LV. et LVIII.) brevi commemorantur, unde multa, quae ad aetatem, numerum, iusiurandum, potestatem arbitrorum publicorum pertinent, nova concludere licet.

Hoc igitur mihi proposui, ut priorum sententias cum illo auctore comparem, falsa corrigam, nova illustrem, vera denuo confirmem.

Ac ne longus sim, de quibus nihil novi afferre potero, ea brevibus absolvam, quae mutanda sunt, diligentius tractabo.

Sed priusquam ad rem propius accedam, facere non possum, quin de libri Aristotelici fide pauca praemittam. Nam auctores incertos sequi insipientis est.

Utrum liber Aristotelis genuinus sit necne, inter viros doctos vehemens disceptatio orta est, non multo post primam illam

---

1) Der attische Process von M. H. E. Meier u. G. Fr. Schömann. Neu bearbeitet von J. H Lipsius 1883—1887 p. 1015.

2) p. 1009—1015.

3) Harp. s. *v. διαιτηταί· λέγει δὲ περὶ αὐτῶν Ἀριστοτέλης ἐν Ἀθηναίων πολιτείᾳ.*

editionem a Kenyonio curatam[1]). Equidem fateor neminem mihi adhuc persuasisse eorum, qui non Aristotelem libri auctorem esse contendunt, sed alium quendam aut discipulum aut virum in re publica versatum. Sed utcunque res se habet, secundam libri partem summa fide dignam esse omnes inter se consentiunt, cum de priore historica parte dissentiant[2]).

Tandem viri eisdem temporibus orti studia de re publica Atheniensium inventa sunt; hoc sane summi momenti est. Adhuc enim plerumque ex impuris posteriorum fontibus hausimus. Nam quae in Demosthenis orationibus de arbitris publicis legimus, non eiusmodi sunt, ut multa inde concludere possimus. Ac saepe quidem in accusantium orationibus arbitrorum brevis mentio fit ad refutanda argumenta, quae reum prolaturum esse accusator existimat. Exemplo sit locus Demosthenis (or. 36 pro Phorm. § 18) *οἶμαι δ' Ἀπολλόδωρον τουτονί, οὐδὲν ἔχοντα δίκαιον εἰπεῖν περὶ ὧν ἐγκαλεῖ, ἅπερ παρὰ τῷ διαιτητῇ λέγειν ἐτόλμα, ταῦτ' ἐρεῖν* ... Similiter or. 41 (adv. Spud.) § 12. *Ἴσως τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, πρὸς μὲν ταῦτ' οὐδὲν ἀντερεῖ Σπουδίας. οὐδὲ γὰρ ἕξει, καίπερ δεινὸς ὤν. αἰτιάσεται δὲ Πολύευκτον . . . . ταῦτα γὰρ καὶ πρὸς τῷ διαιτητῇ λέγειν ἐπεχείρει.* Cf. Dem. or. 27 (adv. Aphob.) § 49, § 53. Hi loci documento sunt, logographos velut Lysiam, Isaeum, Demosthenem in rebus privatis orationes eis accommodasse, quae reus apud arbitrum ad se defendendum dixerat. In rebus autem publicis pro actione apud arbitrum *ἀνάκρισις* apud magistratum adversariis argumenta dabat, quae in iudicio impugnanda et refutanda erant. Eodem modo de omnibus eis locis iudicandum est, ubi accusator rei argumenta providere et praecipere videtur. Sed cum e plurimis Demosthenis locis nihil nisi singula colligere possimus, duobus locis effigies certe melior actionum apud arbitros actarum exprimitur: in or. 21 (adv. Mid.) § 83—96 et or. 54 (adv. Con.)

---

1) Aristotle on the constitution of Athens, edited by F. G. Kenyon. British Museum 1891.

2) Adversariorum ipsorum voces nonnullas afferre satis erit:

Rühl, Rhein. Mus. XLVI p. 426—464. Der antiquarische Teil stimmt im grossen und ganzen mit der Überlieferung, nicht aber der historische Teil (p. 463/64).

Cauer, Hat Aristot. die Schrift vom Staate der Athener geschrieben? (p. 76) Sicheres Wissen enthält der systematische, leider stark verstümmelte Teil der Schrift in weit höherem Masse als der historische. Wo der Verfasser die Ordnung der Dinge beschreibt, die zu seiner Zeit bestand, verdient er unbedenklich Glauben.

Similiter De Sanctis in Rivista di filologia XX, p. 147 sq. cf. Rühl, der Staat der Athener und kein Ende. (Neue Jahrb. für Philologie XVIII p. 673 sq.) p. 695, 706. —

§ 26—30. At his ipsis locis nescio quomodo viris doctis implicare placuit, quae explicare debuerunt.

Cum igitur Demosthenis loci ad numerum, sortitionem, ius iurandum, denique ad constitutionem collegii arbitrorum publicorum non pertinerent, haec e lexicis veteribus supplenda erant. Multa tamen, cum a ceteris disiuncta essent, obscura manebant. Ex Aristotelis libro de re publica Atheniensium multae quidem grammaticorum adnotationes manaverunt, sed non omnes, unde efficitur, ut eis ne nunc quidem supersedere possimus. Unum constat grammaticos Aristotelis librum novisse et excerpsisse. Cur autem non eos fructus inde ceperint, quos capere poterant, facile intellegitur. Neque enim multo post oratorum illustrium aetatem arbitrorum collegium evanuit et grammaticorum temporibus antiquum et incognitum erat[1]).

Quae de Aristotelis libro nuper reperto scripta sunt, omnia inspexi. Atque omnes quidem eos, qui in secundam eius libri partem studium converterunt, Lipsius longe antevenit[2]). Tum studiis meis iam ad finem perductis liber de antiquitatibus Graecis a Busoltio[3]) scriptus iterumque editus supervenit, nec multo post Hermanni antiquitates Graecae a Thumserio correctae et auctae[4]) apparuerunt. Quae apud hos auctores de arbitris publicis leguntur, plurimis in rebus mea cum sententia congruere equidem summopere gaudeo. Ita enim, quae ipse inveni, illorum quoque summa auctoritate nituntur. Nonnulla vero, quae illi minora putantes omiserunt, etiam nunc me suppleturum esse spero.

Ceterorum, qui de Ar. Ἀϑ. πολ. verba fecerunt, alii de rebus historicis, quae priore libri Aristotelici parte continentur, disputaverunt, alii, num liber genuinus sit necne, quaesiverunt, alii coniecturas exercuerunt, alii epitomas scripserunt urgente tempore minus accuratas. Singulorum nomina afferre longum est; quibus aliquid debeo, eorum suo quemque loco laudabo.

Athenis duo genera arbitrorum fuisse[5]) omnium doctorum consensu probatur. Hudtwalckerum secuti unum publicos arbitros, alterum privatos appellare consuevimus. Sed haud scio an germanice aptius distinguendi sint Los- und Wahldiaeteten.

---

1) Cf. Lex. Cant. p. 673. Infra § 12.

2) Berichte über die Verhandlungen der K. Sächs. Ges. d. W. zu Leipzig 1891. p. 41 ff.

3) Busolt, Die griechischen Staats- und Rechtsalterthümer. 2. Aufl. (Iw. Müllers Handb. d. class. Altert.-W. IV, I).

4) Lehrbuch der griech. Staatsaltert. von C. Fr. Hermann, 6. Aufl. von Thumser. Freiburg i. B. 1892 (I, 2).

5) Cf. Dem. (adv. Aphob.) or. 29 § 58.

Sic enim et veterum usus loquendi[1]) et res ipsa melius exprimitur.

Quid autem inter arbitros privatos et publicos interesset, Meier (p. 3 sq.) disseruit. Arbitri privati compromisso litigantium creabantur, plerumque complures, quorum iudicium nulla provocatione tolli poterat. Non solum cives Athenienses sed etiam peregrini eo munere fungebantur, nec ullo rationis reddendae officio tenebantur[2]). Arbitri publici litigantibus per magistratus e civibus certae cuiusdam aetatis sorte dabantur, unus in unaquaque causa; ab eorum sententia ad iudices heliasticos provocatio patebat; arbitros ipsos actione, quae *εἰσαγγελία* vocatur, persequi licebat. Ex Aristotelis de re p. Ath. libri cap. LIII. § 4 praeterea apparet arbitri publici munus omnibus civibus, qui sexagesimum aetatis annum agebant, subeundum fuisse, quadragesimo secundo eodemque ultimo anno, ex quo ephebi rei publicae officia praestare coeperant.

Cum igitur tantum intersit inter arbitrum privatum et publicum, quid est cur utrique idem nomen acceperint? Unum utrisque commune fuit, quod iidem res et instruebant et iudicabant. Inde arbitrum agnoscas. Accedit, quod etiam publici arbitri non solum privati, antequam iudicarent, litigantes inter se conciliare conabantur[3]). Sed quae Meier (p. 26) de eiusdem nominis origine dicit[4]), partim falsa, partim non satis dilucida sunt. Litigantes enim arbitrum publicum non creavisse sed sorte accepisse contra Meierum ab Huberto et Lipsio probatum est[5]). Atque Harpocrationis quidem locus (s. v. *διαιτηταί*) fide non dignus est. Nam grammaticum duplex genus arbitrorum confundere Hubert (p. 41) cum Bergkio probavit. Sed vellem Hubert commemorasset, *ἐπιτρέπειν* propriam de actione apud privatum arbitrum vocem esse. Inde grammaticum duas res falso coniunxisse clarius quam ceteris argumentis elucet. Testimonium autem Dem. Mid. § 93 *οἴδαμεν Δημοσθένην, ᾧ μαρτυροῦμεν, καὶ Μειδίαν — ἑλομένους διαιτητὴν Στράτωνα* etc. interpolatum est[6]). His locis imprimis Meier nisus erat. Illud

---

[1]) Cf. Dem. (adv. Aphob.) or. 29 § 58 (*κληρωτὸς διαιτητής*).

[2]) Aliter C. Fr. Hermann, Lehrbuch der griech. Staatsaltert. § 145 adn. 21.

[3]) Cfr. Ar. *Ἀθ. πολ.* cap. 53, 2.

[4]) l. c. p. 26. Den Namen Diäteten hat man ihnen (d. h. den öffentl. Schiedsr.) vielleicht deshalb gegeben, weil die Rechtssachen auch an sie wie an die bereits vorhandenen compromissarischen durch Wahl der Parteien gelangten oder gelangen konnten, und in der Behandlung der Rechtssachen vor beiderlei Arten der Diäteten manches Gemeinsame war.

[5]) Nunc etiam testimonium Aristotelis accedit, cap. 53 § 5.

[6]) Westermann, de litis instr., quae exstant in Dem. or. adv. Mid. p. 12, Hubert p. 41/2.

vero testimonium Midianae insertum alio loco eiusdem orationis refutatur. Nam § 83 haec leguntur: *τῆς γὰρ δίκης, ταύτης λέγω, ἧς εἷλον αὐτόν, γίγνεταί μοι διαιτητὴς Στράτων Φαληρεύς,* ubi *γίγνεται* ad arbitrum non electum sed sorte creatum quadrare videtur, id quod iam Hubert (p. 42) et Lipsius[1]) animadverterunt.

Sed cum de privatis arbitris ex Aristotelis de rep. Ath. libro nihil comperiamus, quae autem antea nota erant, Hudtwalckeri, Meieri, Huberti disputationibus satis explicata sint, hos omittamus. De publicis arbitris solis nobis dicendum erit.

§ 1.

De arbitrorum aetate.

Unam quaestionem de n u m e r o arbitrorum omnes, qui de eis verba fecerunt, difficillimam duxerunt, neque quisquam certi quidquam comprobare potuit, quamvis sententiae saepe mutarentur. Numerum autem cum a e t a t e arbitrorum artissime cohaerere, Aristoteles demum nos docuit. Itaque de aetate arbitrorum pauca praemittere liceat.

Adhuc in eo viri docti consentiebant, omnes cives culpa liberos[2]) sexagesimo aetatis anno confecto, si apud magistratus se hoc munere fungi velle professi erant, arbitros fieri potuisse, magistratus sortitioni praefuisse, qua certus singulis annis numerus constitueretur. His fere locis ea sententia nitebatur:

Poll. VIII, 126. *διαιτηταὶ δ' ἐκ τῶν ὑπὲρ ἑξήκοντα ἔτη γεγονότων ἐκληροῦντο.*

Hesych. s. *v. διαιτηταί· οἱ δὲ περὶ ἑξήκοντα ἔτη γεγονότες δικῶν.*

Suid. s. *v. διαιτητάς· τοὺς ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότας καὶ καθαροὺς πάσης αἰτίας ὑπειλημμένους ἀπὸ τοῦ ληξιαρχικοῦ γραμματείου κληρώσαντες τὰ τῶν πολιτῶν διαιτᾶν ἐποίουν.*

Lex. Segu. p. 186, 1 s. v. *διαιτητήν· ὑπὲρ τὰ πεντήκοντα ἔτη ἦσαν κριταί.*

Lex. Segu. p. 235, 20: — *ἐγίνοντο δὲ διαιτηταὶ πάντες Ἀθηναῖοι, οἷς ἑξηκοστὸν ἔτος ἦν* = schol. ad Plat. legg. XI, p. 926 C.

Hi loci inter se comparati minime congruunt.

Pollux, cui Hubert in rebus ad antiquitates iuris publici spectantibus plurimam auctoritatem tribuit, aetate supra sexaginta annos opus fuisse contendit, Hesychius aetatem circa

---

1) Der att. Prozess² p. 1012.

2) Cf. Suid. s. *v. διαιτητάς.*

sexaginta annos postulat, quod primo aspectu falsum esse coargui poterat; Suidas et Lexici Segueriani adnotatio, quae ab altera eiusdem libri adnotatione discrepat, ad aetatem supra quinquaginta annos recedunt[1]; Polluci fides habita est. Sed verum non longe aberat, ante pedes iacebat, neque ullus animadvertit. Idem enim, quod ex Aristotelis libro nuper comperimus, in Lex. Segu. p. 235, 20 et in schol. ad Plat. l. c. fortasse ex Aristotele sumptum continetur, si eos locos recte interpretamur. Nam *οἷς ἑξηκοστὸν τος ἦν* (Ar. *οἷς ἂν ἑξηκοστὸν ἔτος ᾖ*) non ei asunt, qui plures qum sexaginta annos, sed qui sexagesimum aetatis annum agunt.

Dudum mirandum videbatur, quod omnino nihil de numero arbitrorum, nihil de muneris petitione nec sortitione, nihil de ratione, quae intercesserit inter arbitros et tribus, veteres nobis tradiderunt, cum de omnibus fere aliis magistratruum vel iudicum collegiis certe numerum rettulerint Nunc tandem eam causam intellegimus. Quae adhuc de arbitrorum aetate sensimus, falsa et mutanda sunt. Aristoteles enim in cap. LIII. § 4 dicit: *διαιτηταὶ δ'εἰσὶν οἷς ἂν ἑξηκοστὸν ἔτος ᾖ* i. e. ii, qui sexagesimum aetatis annum agebant (= *οἱ ἑξηκοστὸν ἔτος ἄγοντες*), arbitrorum munere fungebantur, nec quisquam arbiter fieri poterat, qui hanc aetatem nondum assecutus aut iam transgressus erat. Hunc locum luce clariorem non omnes viri docti recte interpretati sunt. Barthélemy Saint - Hilaire[2]) quidem arbitris aetatem sexaginta annos superantem fuisse putat. G. J. Schneider[3]) tam obscure de eadem re disputat, ut si verba eius sequaris, quid sentiat, intellegere prorsus nequeas. Errat etiam R. Dareste[4]), cum arbitros sexaginta annos natos i. e. sexagenarios fuisse censeat. Eadem fere Thumserii[5]) sententia est. Rectam vero interpretationem infra accuratius probandam Lipsius[6]) invenit.

Ad commendandam aetatem sexaginta annorum (confectorum)

---

1) Sed ut ad originem erroris redeamus, fortasse verba Lex. Segu. *ὑπὲρ τὰ πεντήκοντα ἔτη* aliter explicanda sunt. Si enim *τὰ πεντήκοντα ἔτη* cum Ungerio, magistro doctissimo, a L. usque ad LIX. aetatis annum numeramus, id quod nos dicimus „die fünfziger Jahre", omnia optime congruunt. Ita *οἱ ὑπὲρ τὰ πεντήκοντα ἔτη* sexaginta annos nati sunt. Sed unam mihi dubitationem movet ambiguitas verborum lexici Segu. ne hoc quidem modo sublata; nam verbis *οἱ ὑπὲρ τὰ π. ἔτη* et viri longe maiores natu significari possunt, ita ut certus aetatis annus ne illa quidem explicandi ratione accepta e lexici loco eluceat.

2) Revue bleue 1891, p. 397.

3) Wochenschrift für cl. Philologie VIII, p. 587.

4) Séances et trav. de l'académie d. sc. mor. et pol. 1891 p. 348 (II. Sem.)

5) p. 592/3; p. 594.

6) Berichte über die Verh. des K. Sächs. Ges. der Wissensch. zu Leipzig 1891, p. 58. Cf. etiam Taylor, Classical Review VI, 4, p. 188 — Busolt p. 270/71.

Meier (p. 11) et Hubert (p. 31) id attulerant, quod sexagesimo aetatis anno confecto Athenienses militandi officio liberi erant. Sed quod dicunt[1]) Demosthenem in Mid. § 95 Stratonem arbitrum officiis militaribus perfunctum esse dicere, plus sumunt, quam concedi potest[2]).

Nam Demosthenes nihil aliud dicit, nisi Stratonem omnia stipendia meruisse, quae ex aetate merere debuit[3]); qua autem aetate fuerit, non commemorat. Immo cum priores contenderint et sexagenarios et maiores natu propterea arbitros fieri potuisse, quod officio militandi soluti erant, nunc dicendum est, arbitrorum munus finem quendam officii militaris fuisse quadragesimo secundo eodemque ultimo publicorum officiorum anno[4]). Aristoteles enim accuratius de ea re disputat cap. 53. § 4 sq.: *τοῦτο δὲ δῆλον ἐκ τῶν ἀρχόντων καὶ τῶν ἐπωνύμων· εἰσὶ γὰρ ἐπώνυμοι δέκα μὲν οἱ τῶν φυλῶν, δύο δὲ καὶ τετταράκοντα οἱ τῶν ἡλικιῶν · οἱ δ'ἔφηβοι ἐγγραφόμενοι πρότερον μὲν εἰς λελευκωμένα γραμματεῖα ἐνεγράφοντο, καὶ ἐπεγράφοντο αὐτοῖς ὅ τ'ἄρχων, ἐφ'οὗ ἐνεγράφησαν, καὶ ὁ ἐπώνυμος ὁ τῷ πρότερον ἔτει δεδιαιτηκώς, νῦν δ'εἰς στήλην χαλκῆν ἀναγράφονται καὶ ἵσταται ἡ στήλη πρὸ τοῦ βουλευτηρίου παρὰ τοὺς ἐπωνύμους. τὸν δὲ τελευταῖον τῶν ἐπωνύμων λαβόντες οἱ τετταράκοντα διανέμουσιν αὐτοῖς τὰς διαίτας* etc.

Ergo Suidas[5]) pro: *ἀπὸ τοῦ ληξιαρχικοῦ γραμματείου* rectius dicere debuit: *ἀπὸ τοῦ τῶν ἐφήβων γραμματείου*. De quadraginta duobus eponymis, non singulis tribubus sed singulis militantium annis (ab ephebia usque ad senectutem) constitutis iam Harpocrationis notam ex Aristotele excerptam habebamus s. *v. στρατεία ἐν τοῖς ἐπωνύμοις*[6]). Sed ex hoc militari catalogo etiam arbitros sumptos esse adhuc incognitum erat.

Militandi igitur officio omnes Athenienses a confecto duodevicesimo aetatis anno[7]) usque ad confectum sexagesimum annum tenebantur. Singuli militantium catalogi deinceps e quadraginta duobus eponymis singulos quasi patronos accipiebant, idemque patronus iis manebat usque ad eum annum, quo arbitri ex eis sorte sumebantur. Eo peracto ultimus eponymus rursus primo loco positus recenti epheborum catalogo indebatur. Si autem officio militari demum confecto cives annum arbitros fuisse

---

1) Meier p. 12; Hubert p. 31.
2) Idem fere accidit Lipsio in Berichte über die Verh. der K. S. Ges. d. W. z Leipzig 1891, p. 58 adn. 2.
3) Dem. l. c. *ἐστρατευμένος πάσας τὰς ἐφ' ἡλικίας στρατείας.*
4) Cf. Kenyon, ed. II, p. 131.
5) s. *v. διαιτητάς.*
6) Cf. Harp. s. *v. ἐπώνυμοι.* Etymol. Magn. s. *v. ἐπώνυμοι.*
7) Cf. Arist. *Ἀθ. πολ.* cap. 42, § 1.

putaremus, quadraginta tres anni essent nec plus quam quadraginta duo eponymi, ita ut orbis non clausus esset sed interruptus. Neque opinio nostra cum Aristotelis verbis congrueret: *καὶ ἐπεγράφοντο αὐτοῖς* (sc. *τοῖς ἐφήβοις*) *ὅ τ' ἄρχων, ἐφ' οὗ ἐνεγράφησαν, καὶ ὁ ἐπώνυμος ὁ τῷ προτέρῳ ἔτει δεδιαιτηκώς* i. e. is, quem eponymum habuerunt arbitri praecedentis anni[1]). Idem intellegitur ex cap. 53 § 5: *τὸν δὲ τελευταῖον τῶν ἐπωνύμων λαβόντες οἱ τετταράκοντα διανέμουσιν αὐτοῖς τὰς διαίτας*. Ultimus enim eponymus erat quadragesimus secundus, quem ei habebant, qui sexagesimum aetatis annum agebant. Post hunc annum, ut supra diximus, primus fiebat. At si post stipendia emerita arbitrorum annus ponendus esset, arbitris idem eponymus esset, qui ephebis eiusdem anni, et Aristoteles dicere debuit: *ὁ ἐπώνυμος ὁ τῷ αὐτῷ ἔτει διαιτῶν*. Ergo arbitri stipendia nondum emeruerant. Sed homines tam grandes natu raro ad bellum exciti sunt, et si summum periculum instabat, iustitium intercedebat.

§ 2.

Num *δοκιμασία* arbitrorum fuerit.

De *δοκιμασίᾳ* arbitrorum cum nihil e fontibus antiquis haurire possimus, auctorum recentiorum alii alia sibi finxerunt.

Hudtwalcker prorsus nihil de ea re dicit, Meier (p. 11) *δοκιμασίαν* probabilem reddit, Schömann (Philologus I, p. 729) assentire videtur.

Hubert rem in dubio relinquit, sed ad eam negandam affert, quod *εὐθύναι* arbitrorum non erant. Quae causa parvi momenti est. Equidem *δοκιμασίαν* ex Aristotelis verbis colligere posse mihi videor, quae cap. 53 § 5 de ratione inter arbitros singulas res sortiendi leguntur. Nam catalogi epheborum in aere insculpti quadraginta uno annis post non multum valebant, cum alii mortem obissent, alii e patria emigrassent, alii capitis deminuti in exilium missi essent. Atque Aristoteles[2]) quidem praeter illos, qui apud exteros habitabant, eos arbitrorum officio solos exemptos esse dicit, qui eodem anno magistratu fungebantur. Suidas s. *v.*

---

[1]) Sic v. Herwerden et Leeuwen in editione Ar. *Ἀθ. πολ.* hunc locum interpretantur.

[2]) Ar. cap. 53 § 5. *πλὴν ἐὰν τύχῃ ἀρχὴν ἄρχων τινὰ ἐν ἐκείνῳ τῷ ἐνιαυτῷ ἢ ἀποδημῶν.*

διαιτητάς etiam morum integritatem ab arbitro postulat[1]). Quod quamquam Aristoteles silentio praetermittit, tamen falsum esse inde colligere non oportet. Aristotelem puto rem per se manifestam praeteriisse, quod cuique accidere solet, qui praesentem rei publicae statum aequalibus describere suscepit. Ne capitis quidem deminutos Aristoteles nominatim eximit, in re non dubia minus accuratus. Quod vero Demosthenes in Mid. § 83 et 95 Stratonis arbitri probos integrosque mores identidem laudat, optime cum Suidae loco congruere videtur. Num etiam *ὑπεύθυνοι* excipiendi sint, quos Meier (p. 12) exceptos vult, dubito.

Ex illo igitur catalogo, ante quadraginta unum annos facto, Aristotelem verbotenus sequentes arbitros sumptos esse censebimus? An recensione quadam illum catalogum correctum esse putabimus? Idque eos magistratus fecisse, quibus catalogo accurato ad sortiendos arbitros opus erat, nonne verisimile est? Hac igitur *δοκιμασίᾳ* apud iudices, praesidentibus XL viris instituta, ex illo epheborum indice novus correctior arbitrorum a XL viris confectus est. Licet magistratus militares antecedentibus annis similia fecerint[2]), ultimo anno imprimis XL viris cum arbitris res erat, itaque illos catalogum traditum ipsos correxisse consentaneum est. Ex hac *δοκιμασίᾳ* parvus arbitrorum numerus, quem in titulo a Rossio edito reperimus, haud scio an repetendus sit.

§ 3.

De arbitrorum numero.

Hubert in p. 24 dissertationis suae queritur, quod hac in re fontibus destituamur. Nunc tandem fons inventus est, unde toto pectore verum hauriamus. Sed priusquam eo fonte utamur, quae priores de arbitrornm numero senserint, comparanda sunt. Unus locus, qui eo pertinet, erat adnotatio Ulpiani qui vocatur grammatici ad Dem. Mid. § 86 (p. 542, 15): *ἦσαν δ'οἱ διαιτηταὶ μδ' (τεσσαράκοντα τέσσαρες) καθ' ἑκάστην φυλήν.* Sed cum universus quadringentorum quadraginta arbitrorum numerus viris doctis nimius

---

1) *καθαροὺς πάσης αἰτίας ὑπειλημμένους.*

2) Hoc certe ineunte non exeunte anno fieri solebat; itaque falsa est Goodellii sententia (Am. Journ. of Philol. XII, 3 p. 319/20), qui anniversariis catalogi epheborum correctionibus id effectum esse putat, ut XL viri magistratum ingressi rectum catalogum in manibus haberent. Sed idem, quod omnibus praecedentibus annis factum erat, etiam ultimo anno ineunte observatum esse videtur, idque per XL viros, qui *διαιτηταῖς* quodammodo praeerant.

videretur, Heraldus coniecit legendum esse: ἦσαν δ'οἱ διαιτηταὶ τεσσαράκοντα, τέσσαρες καθ' ἑκάστην φυλήν. Heraldum Hudtwalcker (p. 5) dubitanter secutus est. Meier (p. 9) primus animadvertit, Ulpiani locum non ad arbitros sed ad pagorum iudices pertinere, qui re vera quadraginta erant, quaterni e decem tribubus.

Nova interea difficultas exstiterat inscriptione illa a Rossio edita[1]), quae nomina centum quattuor arbitrorum archontis Anticlis anno[2]) munere functorum continet. Ex articulo autem praescriptionis διαιτηταὶ οἱ ἐπὶ Ἀντικλέους ἄρχοντος omnes arbitros illius anni nominatos esse intellegitur[3]). Erant igitur centum quattuor arbitri exeunte Anticlis anno; quot initio illius anni fuerint, inde colligi non potest. Quis enim est, qui numeret, quot eodem anno mors absumpserit? Sed hic numerus (CIV arbitrorum) a ceteris Atheniensium collegiis adeo abhorret, ut Meier (p. 9) singulis annis numerum varium fuisse coniecerit. Id Hubert, etsi unum Anticlis annum incerta de causa excipit, ideo negat, quod arbitri collegium erant[4]). Numerum autem singulis annis certe eundem fuisse censet, si collegium arbitrorum fuerit. Quae argumentatio a magistratuum collegiis ad arbitros translata non ita multum valet. Hubert ipse Meierum saepe vituperat, quod arbitros cum magistratibus comparaverit. Proprium et singulare arbitrorum munus est, ipsum igitur per se contemplemur.

Atque ea quidem, quae Bergk[5]) de arbitrorum numero coniecerat, Hubert (p. 25 sq.) satis redarguit. Num vero recte negaverit titulum[6]), quo ille imprimis nisus est, ad arbitros pertinere dubito. Köhler quidem Bergkii coniecturam, qui praescriptionem . . . . . *ΤΑΙ* in *ΔΙΑΙΤΗΤΑΙ* suppleverat, accepit et O. Landwehr[7]) eum secutus est. Casu mea quidem sententia accidit, ut trium vel quattuor tribuum totidem arbitri essent[8]). Nam in illo quoque titulo a Rossio edito, qui catalogum centum

---

1) Demen v. Attika p. 20; C. I. A. II, 2. p. 356.

2) 325/4 a. Chr. n.

3) Cf. Hubert p. 24. 26. Bergk (Rhein. Mus. VII. p. 132/3 articulo neglecto negavit omnes arbitros illa inscriptione contineri, quod Goodell, Am. Journ. of Philology XII, 3 p. 320/1 repetit, quasi nihil de ea re interea scriptum sit.

4) Cf. Bergk, Zeitschr. f. d. A. W. 1849, p. 275/6, et titulum in Ἐφ. ἀρχ. 3818: . . . . Ἔδοξεν τοῖς διαιτηταῖς ἐπαινέσαι καὶ στεφανῶσαι αὐτοὺς θαλλοῦ στεφάνῳ.

5) Cf. Bergk, Z. f. d. A. W. 1849, p. 269. Rhein. Mus. VII. p. 130 sq.

6) C. I. Gr. I, 172. C. I. A. II, 2, p. 359.

7) Wochenschr. f. kl. Philol. III, p. 521/22.

8) Quamquam ea res minus certa est, quam Bergk putat. Nam non plusquam duarum tribuum tabulae integrae, ceterae in fine mutilatae sunt.

quattuor arbitrorum ita continet, ut singulae tribus varium arbitrorum numerum praebeant, Acamantis, Hippothontis, Aeantis casu novenos arbitros exhibent. Unum pro certo affirmaverim, si Bergkii titulus mutilatus non solum tribus vel quattuor tribubus totidem arbitros tribuat, sed eundem omnibus numerum, Bergkii coniecturam non minus falsam esse, quam cetera, quae vir doctissimus de pari arbitrorum numero e singulis tribubus sumpto et de universo numero centum sexaginta vel ducentorum quadraginta vel denique quadringentorum quadraginta arbitrorum nimis audacter coniecit. Quae cum non argumentis modo, sed rebus ipsis refutentur, praetereo. Simul et Rangabei[1]) sententia, qui *ἐπιλαχόντας* arbitrorum fuisse existimat[2]) et Westermanni[3]) acutae illae quidem, sed artificiosae de arbitris e iudicibus heliasticis creandis commentationes corruunt et dilabuntur. Nobis Aristotele duce hic argutiarum nodus simpliciter solvendus est. Supra demonstravimus cives sexagesimum aetatis annum agentes arbitrorum munere functos esse. Numerus igitur singulis annis non semper idem manebat[4]). Tot arbitri erant, quot cives sexagesimum aetatis annum agebant, vel potius tot arbitri, quot ex illis sorte creabantur.

Nam fieri potuit, ut non omnes ad illud munus destinati sorte lites acciperent ad iudicandum. Hoc iam Bergk[5]) et Landwehr[6]) animadverterunt, quamvis falsa in universum de arbitris sentirent. Collegium autem arbitrorum ex omnibus designatis constabat. E quibus eos solum laudatos et corona donatos esse consentaneum est, qui litem vel unam sorte acceperant et diiudicaverant.

Itaque ex illo titulo a Rossio edito, quod ad numerum designatorum arbitrorum attinet, non ita multum intellegi potest. Unum apparet Anticlis anno[7]) centum quattuor arbitros ad iudicandum electos esse; quot sorte praeteriti sint, ignoramus. Alia ratione Goodell[8]) numerum arbitrorum computare conatus est. Conclusit enim ex anglica quadam mortalitatis tabula[9]) inter viginti millia civium supra duodeviginti annos natorum CCXXV fere aetatem undesexaginta annorum habere, quem numerum si

---

1) Rangabé, Ant. helléniques, vol. II, p. 767.
2) cf. Hubert p. 24/5.
3) Bericht üb. d. V. d. K. S. G. d. W. zu Leipzig. 1849, p. 438 sq. Cf. Hubert p. 25.
4) Cf. Thumser p. 592.
5) Z. f. d. A. W. 1849, p. 271.
6) Wochenschr. f. kl. Philol. III. p. 521/2.
7) 325/4 a. Chr. n
8) Amer. Journ. of Philol. XII, 3, p. 320.
9) Northampton table of mortality (1735—1780).

ad antiquitatis tempora adhibere volumus, certe minuendum esse putat. Sed accuratum numerum hoc modo nunquam assequemur. Nam scientia ut ita dicam statistica nisi ceteris paribus uti non licet; Britannia vero vel Germania nostra et Graecia antiqua spatio et tempore nimis inter se distare videntur. Athenas igitur redeamus! Ibi IV. saeculo a. Chr. n.[1]) viginti fere millia civium fuerunt[2]). Quem numerum si XLII annorum serie dividimus, singuli anni quadringenos septuagenos senos cives continerent. Seniores autem a iunioribus numero longe superabantur[3]), multis in bello occisis aut morbo absumptis aut capite deminutis. Eis denique, qui eo anno magistratu fungebantur aut extra patriam commorabantur, exceptis numerus multo minor quam CCCCLXXVI efficitur. Dimidio igitur posito eundem fere quem Goodell numerum accipimus. Concedo in hac quoque computatione multa non satis certa esse; attamen propius ad veritatem accedere in praesens non licet.

§ 4.

De ratione, quae intercedat inter tribus et arbitros.

Arbitros non secundum tribus sed ex omnibus Atheniensibus electos esse Hubert (p. 28) et contendit et probavit, imprimis titulo a Rossio edito et Dem. Midiana nisus, ubi arbitri, accusantis, rei tribus diversae sunt. Eos locos, qui obstare videbantur[4]), Meier (p. 24/5) et Hubert (p. 28/9) ad pagorum iudices rettulerunt. Et locum Pollucis VIII, 91 Hubert sic interpretatus est, ut vocem *φυλῇ* ad eosdem iudices referret, id quod Aristotelis cap. 58, § 6 comprobatur. Idem (p. 30) Schömannum[5]) secutus universum arbitrorum numerum e cunctis Atheniensibus sorte sumptorum sorte quoque in decem partes ita divisum fuisse dicit, ut singulis tribubus singulae partes constituerentur[6]). Cum Aristotele illam priorem quaestionem ad finem perduximus, alteram ab eo silentio praetermissam ob id ipsum denuo instituamus.

---

1) De huius saeculi institutionibus Aristot. in *Ἀθ πολ.* imprimis verba facit; itaque Thucydidis (II. 13) testimonium omisi.

2) Cf. Busolt², p. 199.

3) Nostris temporibus numerus eorum, qui sexagesimum aetatis annum agunt, d i m i d i o f e r e m i n o r est eorum numero, qui XVIII annos nati sunt. Cf. Monatshefte zur Statistik des Deutschen Reichs 1887, XI. p. 8, 9.

4) Lys. 23, § 2 et Harp. s. v. *ὅτι*.

5) Philol. I, p. 730.

6) Idem sentiunt: Lipsius A. P² p. 1015; Busolt¹ p. 178/9 adn. 11; Busolt² p. 271 adn. 3; Thumser p. 593, Lipsius Berichte etc. p. 58 (ambigue); Goodell Am. Journ. of Ph. XII, 3, p. 322.

Loci auctorum huc spectantes hi fere sunt:

Suid. s. v. διαιτητάς · . . . ἀπὸ τοῦ ληξιαρχικοῦ γραμματείου κληρώσαντες τὰ τῶν πολιτῶν διαιτᾶν ἐποίουν: (Dem.) or. 47 (adv. Euerg. et Mnesib.) § 12: οἱ γὰρ τὴν Οἰνηΐδα καὶ Ἐρεχθηΐδα διαιτῶντες ἐνταῦθα (i. e. ἐν ἡλιαίᾳ) κάθηνται.

Aristot. cap. LIII. 15: τὸν δὲ τελευταῖον τῶν ἐπωνύμων λαβόντες οἱ τετταράκοντα διανέμουσιν αὐτοῖς τὰς διαίτας καὶ ἐπικληροῦσιν, ἃς ἕκαστος διαιτήσει.

Suidae et Aristotelis loci difficultatem magnam praebent. Sortitiones, quibus arbitri in totum annum destinarentur, ut supra demonstravimus, nullae erant. Ergo Suidae κληρώσαντες aliter ac prioribus intellegendum est. Arbitri sorte in decem partes divisi esse dicuntur, e quibus magistratus litigantibus singulos arbitros sorte dabant. Sed nec Suidas nec Aristoteles has duas sortitiones distinguere videntur, cum aperte dicant, ex universo illo catalogo arbitros sumptos esse. Nec quod Aristoteles distinguit: διανέμουσιν αὐτοῖς τὰς διαίτας et: ἐπικληροῦσιν, ἃς ἕκαστος διαιτήσει ad illum sensum quadrat. An quisquam [1]) Aristotelis verba ita interpretabitur, ut dicat pagorum iudices arbitros (in decem ordines) distribuisse (διανέμουσιν), tum ex illis ordinibus singulos ad res diiudicandas sorte elegisse (ἐπικληροῦσιν)? Immo Aristotelem illam priorem sortitionem a viris doctis fictam non novisse putandum est. Accedit, quod ne Suidae quidem locum aliter interpretari possumus. Itaque hos auctores sequi non dubitarem, nisi Dem. or. 47. § 12 obstaret. Quem locum Meier (p. 25) et Westermann [2]) perverse interpretati erant, cum dicerent τοὺς τὴν Ἐρεχθηΐδα διαιτῶντας eos Erechtheidenses esse, qui illo anno arbitrorum munere fungerentur. Schömann [3]) vero et Hubert (p. 30) eum secutus illos refellerunt et cum eos arbitros, qui Erechtheidi arbitria dare destinati erant, intellexissent, concluserunt, arbitros sorte in decem partes divisos fuisse, quae singulis tribubus constituerentu Tribui autem arbitria dare idem valet, quod reorum ex adem tribu causas diiudicare, quia forum causae plerumque adreum se applicabat (Hubert p. 42). Lipsius [4]) rem quidem probat, sed verbi διαιτᾶν cum accusativo constructionem sine exemplo esse dicit. Nam in epigrammate apud Pausaniam V, 19. 5:

Ἑρμείας ὅδ' Ἀλεξάνδρῳ δείκνυσι διαιτῆν
τοῦ εἴδους Ἥραν καὶ Ἀθανᾶν καὶ Ἀφροδίταν

---

1) velut Goodell, Am. Journ. of Philology XII. 3, p. 322.
2) Berichte etc. I, p. 432 sq.
3) Philologus I, p. 730.
4) D. att. Proc.², p. 1015.

accusativum non ad *διαιτᾶν* sed ad *δείκνυσι* referendum esse. Sed exemplum, quod affert e Pind. Olymp. 9,66 *πόλιν δ'ᾤπασεν λαόν τε διαιτᾶν,* mihi quidem non ita multum valere videtur. Hoc enim loco verbum *διαιτᾶν* in fine sententiae positum est disiunctum et absolutum, illo vero loco accusativis, a quibus minime abhorret [1], praecedit.

Sed ut ad rem redeam, difficultas inter Aristotelem et Ps. Demosthenem non ea est, ut tolli omnino nequeat, si modo Demosthenem recte et simpliciter interpretamur. Non ab arbitrorum collegii decem partibus initium explicandi faciamus, sed a locis, ubi arbitri iudicabant. Haec loca singulis tribubus constituta erant vel binae tribus unum communem habebant, quae Schömanni[2] ab Huberto (p. 30) probata sententia est[3]. Arbiter ad forum rei se applicabat. Si quis e cuncto arbitrorum numero sorte creatus causam acceperat, eo loco eam diiudicabat, qui tribui rei destinatus erat. Ita idem arbiter diversas lites diversis locis instruebat.

Hac ratione Ps. Demosthenis verbis explicatis concidunt quoque, quae Bergk[4]) de prytaniis collegii arbitrorum coniecit. Nam si arbitrorum collegium in nullas omnino partes neque e tribubus sumptas nec secundum tribus constitutas divisum erat, ne prytaniae quidem esse poterant. Idem priore sententia tacite mutata Lipsius sentire videtur. Sed tam ambigue loquitur, ut quid sentiat difficile intellegas[5]. Plura de arbitrorum collegio infra dicentur.

§ 5.

De arbitrorum iureiurando.

Diu in hac quaestione testimonium antiquitatis desideratum est. Aristoteles eam quoque rem illustrat. Nec vero in capite

---

1) Verbum *διαιτᾶν* cum acc. *νείκη* coniunctum Dion. Hal. 7, 52 exhibet. Similiter in Ar. cap. 53, § 2 *δικάζειν* cum acc. *τὴν φυλήν* coniunctum est, qui usus a consuetudine linguae Graecae prorsus non alienus est.

2) Philologus I, p. 730.

3) Praeter heliaeam, quam duabus tribubus destinatam fuisse ex (Dem.) or. 47 § 12 intellegitur, stoa poecile apud Demosthenem (or. 45 § 17) nominatur. De ceteris arbitrorum locis nihil traditum accepimus. Cf. Thumser p. 594. De delphinio res minus certa est. Ibi enim tantummodo iura iuranda partium litigantium facta esse legimus. Cf. Hubert p. 46.

4) Z. f. d. A. W. p. 276.

5) Berichte über d. Verh. d. K. S. G. d. W. zu Leipzig 1891, p. 58: Unter diese verteilen die 40 durchs Los die vorkommenden Rechtsfälle zur schiedsrichterlichen Entscheidung und zwar nach (Dem.) 47, 12 jede Sektion der 40 gesondert, aber nicht nur an Mitglieder ihrer Phyle.

LIII., quod de arbitris est, sed in cap. LV. § 5, ubi de archontum iureiurando loquitur, et arbitrorum mentionem facit. Verba autem eius sunt haec:

δοκιμασθέντες δὲ τοῦτον τὸν τρόπον βαδίζουσι πρὸς τὸν λίθον, ὑφ' ᾧ τὰ τόμι' ἐστίν, ἐφ' οὗ καὶ οἱ διαιτηταὶ ὀμόσαντες ἀποφαίνονται τὰς διαίτας καὶ οἱ μάρτυρες ἐξόμνυνται τὰς μαρτυρίας.

Primum quaeritur, utros arbitros Aristoteles significet, publicos an privatos. Atque si sententias virorum doctorum sequeremur, publici arbitri hoc loco nobis excludendi essent. Nam Hubert (p. 32/3) cum Hudtwalckero (p. 8) et Meiero (p. 12) arbitros publicos, priusquam magistratum inirent (i. e. initio anni), iureiurando obstrictos esse censet. Aristoteles vero de iureiurando ante sententiam dictam praestando loquitur. Tamen illum locum cum publicorum arbitrorum iureiurando cohaerere me probaturum esse spero.

Aristoteles libro suo constitutionem rei publicae Atheniensium describit. Ibi autem arbitris privatis locus non erat, quippe qui non magistratuum munere fungerentur, sed compromisso a privatis facto e civibus vel peregrinis crearentur. Tum articulus in *οἱ διαιτηταὶ* documento est, omnes arbitros significari, nimirum eius generis eorum, quod auctor in animo habet, sive publicorum sive privatorum. Privati autem arbitri iureiurando obstringi non debebant, nisi nomina eorum magistratui nuntiata erant[1]). Etiam maioris momenti est, quod arbitros privatos aliis locis iurasse aut arbitria dedisse nonnullis exemplis ab oratoribus Atticis traditis probatur[2]). Haec abhorrent a verbis Aristotelis, qui arbitros ex illo lapide iureiurando praestito[3]) sententias pronuntiasse tradit. Gravissimum vero argumentum ex Dem. or. 54 (adv. Con.) § 26[4]) sumendum est. Orator de actione a p u d a r b i t r u m p u b l i c u m loquitur;

---

[1]) Cf. Hubert p. 17.

[2]) Is. or. 2 (de Men. her.) § 30 (iusiurandum apud Veneris aram Cephalis sitam), Dem. or. 36 (pro Phorm.) § 16 (*γνώμη ἐν ἀκροπόλει*), (Dem.) or. 59 (adv. Neaer.) § 46. (*γνώμη ἐν τῷ ἱερῷ*).

[3]) Quaeritur, utrum *ἐφ' οὗ* cum *ὀμόσαντες* an cum *ἀποφαίνονται* coniungendum sit. Equidem persuasum habeo, *ἐφ' οὗ* ad utrumque verbum pertinere. Nam si archontes et testes in eo iurabant, etiam arbitros, qui hoc loco simul cum illis nominantur, non solum sententiam ex eo pronuntiasse sed etiam ibi iurasse consentaneum est. Hoc enim illius lapidis proprium erat, ut in eo iuraiuranda praestarentur („Schwurstein"). Idem Busolt p. 271 sentire videtur. Sed si quis dicit, sententiam non ex illo lapide sed iureiurando praestito ipso arbitrii loco pronuntiatam esse, ne hoc quidem certis argumentis refelli potest.

[4]) Cf. Westermann, Ausg. Red. d. Dem. III. Bändchen, p. 125/6. *λίθον* pro mss. *βωμὸν* ex Harp. p. 120, 27. Dindorf restituit. Harpocratio Aristotelem et Philochorum auctores affert. De eodem lapide cf. Plut. Sol. 25. et Poll. VIII, 86. Ar. *'Αθ. πολ.* c. 7, § 1.

adversarii pronuntiationem sententiae ultra mediam noctem prohibebant. *Ἐποίησαν μὲν γὰρ ἔξω μέσων νυκτῶν τὴν ὥραν, οὔτε τὰς μαρτυρίας ἀναγιγνώσκειν ἐθέλοντες, οὔτε ἀντίγραφα διδόναι, τῶν δὲ παρόντων ἡμῖν* (= testes nostros; cf. [Dem.] or. 40 § 31) *καθ' ἕνα οὑτωσὶ πρὸς τὸν λίθον ἄγοντες καὶ ἐξορκίζοντες* .... Testibus igitur singulis adversarii persuadebant, ut testimonia eiurarent, id quod *ἐξωμοσίᾳ* apud lapidem[1]) fiebat. Nonne hoc Demosthenis loco eundem lapidem reperimus, eosdem testes, eandem *ἐξωμοσίαν*, quae apud Aristotelem? Quid quod praeposito articulo *οἱ* certi testes significantur, nimirum qui apud arbitros paulo supra nominatos testimonia praebeant. Ex Demosthenis loco concludimus, Aristotelem de testibus apud publicos arbitros adhibitis loqui. Nonne igitur manifestum est, etiam arbitros, quos Aristoteles in universum dicit, publicos esse intellegendos? Demosthenis exemplo sic optime illustratur, quid Aristotelis verba sibi velint.

Etiam alii oratorum loci, ubi de *ἐξωμοσίᾳ* agitur, hac interpretatione expediuntur et rectius illustrantur. Velut Dem. or. 29 (adv. Aph.) § 20 *τοῦ δὲ διαιτητοῦ κελεύοντος μαρτυρεῖν ἢ ἐξομνύειν, ἐμαρτύρησε πάνυ μόγις.*

Dem. or. 45 (adv. Steph.) § 60 *ἢ μαρτυρεῖτε ἢ ἐξομόσασθε.* Haec quidem ad *ἐξωμοσίαν* apud iudices pertinent, sed § 58 orator et de *ἐξωμοσίᾳ* apud arbitrum loquitur, cum dicat: *νῦν δ' ἀφ' ὧν ὕστερον πέπυσμαι, πρὸς αὐτῷ τῷ διαιτητῇ Στέφανον τουτονὶ αὐτὴν* (sc. *τὴν μαρτυρίαν*) *ὑφῃρημένον εὑρίσκω, πρὸς μαρτυρίαν τινά, ἵν' ἐξορκώσαιμι, ἀναστάντος ἐμοῦ* i. e. accusator testem adversarii *εἰς ἐξωμοσίαν* ad illum lapidem duxerat, interea Stephanus testimonium surripuit, ne in *ἐχῖνον* iniceretur. Huc pertinet Dem. or. 49 (adv. Timoth.) § 20. Antiphanes Apollodoro testimonium promiserat, sed die arbitrii non apparuit. *Τιθέντος δέ μου τὴν δραχμὴν τοῦ λιπομαρτυρίου κατὰ τὸν νόμον, ὁ διαιτητὴς οὐ κατεδιῄτα, ἀλλ' ἀπιὼν ᾤχετο ἀποδιαιτήσας τούτου τὴν δίαιταν, ἑσπέρας ἤδη οὔσης· νυνὶ δὲ τῷ Ἀντιφάνει εἴληχα βλάβης ἰδίαν δίκην, ὅτι μοι οὔτ' ἐμαρτύρησεν οὔτ' ἐξωμόσατο κατὰ τὸν νόμον.* Lege praescriptum esse videtur, ut, si quis testandi apud arbitrum officio promisso se subducere vellet, id *ἐξωμοσίᾳ* in illo lapide fieret. Si non fiebat, actio *λιπομαρτυρίου* adversus recusantem testem patebat. Quae actio cum priore coniuncta (Nebenklage) non ad magistratum deferri debebat, sed illico apud eundem arbitrum, qui rem ipsam tractabat, institui poterat[2]). Parastasis nova solvenda erat. Lite autem diiudicata sola *βλάβης δίκη* patebat, ut ex eodem Demosthenis loco intellegitur[3]). *Ἐξωμοσία*

1) Articulus *τὸν* lapidem certum notumque significat.
2) Cf. Hubert p. 39.
3) D. att. Process² p. 499.

apud iudices et apud arbitros, non apud magistratum causam instruentem in usu erat[1]). *Ἐξωμοσίαν* autem apud iudices non in illo lapide sed in ipso iudicio factam esse e Dem. or. 45 (adv. Steph.) § 60 apparet.

Hic aliquis concluserit, quod de *ἐξωμοσίᾳ* ex Aristotele comperimus, etiam ad loca, ubi arbitri considebant, quodammodo pertinere. Nam si testes testimonia non praestantes inter *ἀνάκρισιν* arbitri ad illum lapidem ducendi erant, arbitrii locum ab illo lapide non multum afuisse putares. Duo loca, ut supra diximus, scimus, heliaeam (Dem. or. 47 § 12) et *στοὰν ποικίλην* (Dem. or. 45 § 17) Tamen de ceteris locis quidquam pro certo affirmare vereor. Nam ut in Dem. or. 54 § 26 actio apud arbitrum ultra mediam noctem duceretur, fortasse eo effectum est, quod lapis a sede arbitri longius aberat. Veterum de hac re testimonia frustra requiras.

Sed ne longius a proposito declinemus, unum certe Aristoteles docet, quod Hudtwalcker et Meier argumentis non allatis contenderant, Hubert negaverat, arbitros, antequam ius dicerent, iureiurando adactos esse; tum ex eodem lapide, ubi iuraverant, sententiam eos pronuntiasse. Sed prius illud iusiurandum omnium arbitrorum, quod viri docti in initio cuiusque anni posuerunt, Aristoteles praeterit. Inde nova quaestio oritur, num illi erraverint, cum de communi iureiurando cogitarent[2]). Quae sententia ad nostram plane mutatam de arbitris publicis opinionem minime quadrare videtur. Ex iis enim civibus, qui sexagesimum aetatis annum agebant, arbitri sorte creabantur. Aetate ad munus arbitrorum destinati nondum arbitri erant, sed fieri poterant, si sors eis favebat. Id autem non prohibebat, quominus omnes illius aetatis cives vulgo arbitri nominarentur[3]); nam difficile erat scire, cuius ex omnibus destinatis sors evenisset. Sed id tenendum est, arbitros tum demum munus ingressos esse, cum sorte causam diiudicandam susciperent. Tum iureiurando opus erat, non ineunte anno, cum sortitionum eventus incertus esset. Diversis locis arbitri causas instruebant, in uno eodemque lapide omnes et iurabant et ius dicebant.

Hubert (p. 32) sententiam contrariam similitudine arbitrorum cum iudicibus heliasticis[4]) probare studuit, nos Aristotelem secuti hac in re publicos arbitros cum privatis aptius comparandos esse

---

1) Cf. D. att. Process² p. 884.
2) Cf. Hubert p. 32/3.
3) Ἀριστ. Ἀθ. πολ. cap. 53. § 4.
4) Cf. D. att. Proc.² p. 161, adn. 29.

cognoscimus. Quae denique argumenta C. Fr. Hermann[1]) adversus arbitrorum iusiurandum protulit, nunc non solum Meieri et Huberti verbis, sed Aristotelis auctoritate refelluntur.

§ 6.

De *ἀτιμίᾳ* arbitri causam suscipere recusantis.

Ex eadem de arbitrorum muneris initio sententia, quam proxima paragrapho defendimus, Aristotelis adnotatio de *ἀτιμίᾳ* arbitri causam repudiantis manare videtur:

cap. LIII § 5 *καὶ ἀναγκαῖον, ἃς ἂν ἕκαστος λάχῃ διαίτας, ἐκδιαιτᾶν. ὁ γὰρ νόμος, ἄν τις μὴ γένηται διαιτητὴς τῆς ἡλικίας αὐτῷ καθηκούσης, ἄτιμον εἶναι κελεύει, πλὴν ἐὰν τύχῃ ἀρχὴν ἄρχων τινὰ ἐν ἐκείνῳ τῷ ἐνιαυτῷ ἢ ἀποδημῶν. οὗτοι δ'ἀτελεῖς εἰσὶ μόνοι.*

Capitis igitur deminutio ei impendet, qui causam sorte acceptam diiudicare recusat. Quid autem lege ab Aristotele allata iubetur? Eum capite deminui, qui aetatem praescriptam assecutus arbiter non fiat. Ergo arbitrum fieri et causam iudicandum accipere idem valet, et is demum re vera arbiter fit, cui aliqua causa sorte mandatur. Hoc quidem ex Aristotelis verbis luculentissime apparet.

Quae vero Aristoteles hoc loco docet, eadem apud Pollucem (VIII. 126) legimus: *καὶ ἀτιμία ἀφώριστο τῷ μὴ διαιτήσαντι τὴν ἐπικληρωθεῖσαν δίαιταν.* Sed Pollucis verba fidem non invenerunt, cum viri docti locum corruptum ideoque corrigendum putarent. Nam ceteris grammaticorum locis comparatis Pollucis verba ad alteram illam *ἀτιμίαν* relata sunt, quae, si quis arbitri officia laeserat, *εἰσαγγελίᾳ* irrogabatur. Nec species quaedam probabilitatis coniecturae Meieri defuit, qui *καλῶς καὶ δικαίως* supplevit. Hubert (p. 54) et Lipsius[2]) eum secuti sunt. Omnes erraverunt. Pollucis enim verba non ad *εἰσαγγελίαν* adversus improbos arbitros adhibitam pertinent, sed ad eam poenam, quae arbitro causam suscipere recusanti impendebat[3]). Nec mihi ea res tam fabulosa videtur, quam Meiero (p. 15). Quid enim facilius erat, quam eam poenam atrocissimam evitare? Causam sorte acceptam si quis subierat, legis severitas nihil valebat. Nec vero causae, cur illa lex lata sit, obscurae sunt. Multos enim fuisse putandum est, qui sive iudicandi laborem vel *εἰσαγγελίας* periculum artesque inimicorum veriti, sive propinquorum caritate vel amicorum cura

---

1) Vorrede zum Marburger Lectionskatalog 1833/4, p. 5. C. Fr. Hermann, Lehrbuch d. gr. Staatsalt. § 145, adn. 20.

2) D. att. Process² pag. 334, adn. 384.

3) Cf. Busolt, p. 271. Thumser p. 293.

moti arbitrorum munus, cui aetate destinati erant, inire dubitarent et excusationes fingerent, ut iudicandi officio liberarentur. Quare cum inopia arbitrorum exsisteret et magistratuum officia impedirentur, lex illa lata est, qua omnes excusationes non irritae solum fiebant, sed severissime puniebantur. Quod raro vel nunquam factum esse consentaneum est. An quis tam stultus fuit, ut talem poenam sibi irrogaret, cum oboediendo facillime eam evitare posset? Severa illa quidem lex erat, sed nec crudelis nec iniusta.

Quaeritur, qua ratione illa capitis deminutio rata facta sit. Sine dubio ipso iure valuit, simulatque arbiter sorte creatus coram testibus in recusando permansit.

§ 7.

De *εἰσαγγελίᾳ* et de *εὐθύναις* arbitrorum.

Non solum eos arbitros, qui causam sorte mandatam disceptare noluerunt, capitis deminutione punitos esse, sed eandem poenam adversus improbos arbitros actione, quae *εἰσαγγελία* vocabatur, impetrari potuisse supra commemoravimus. Quae res nullam haberet difficultatem, nisi cum quaestione de *εὐθύναις* arbitrorum cohaereret. Ab Aristotelis cap. LIII § 6 argumentandi initium faciamus.

Ἔστι δὲ καὶ εἰσαγγέλλειν εἰς τοὺς διαιτητάς[1]*), ἐάν τις ἀδικηθῇ ὑπὸ τοῦ διαιτητοῦ, κἂν τινος καταγνῶσιν, ἀτιμοῦσθαι κελεύουσιν οἱ νόμοι. ἔφεσις δ' ἐστὶ καὶ τούτοις.* Aristoteles igitur arbitrum improbum apud arbitros accusari licuisse, capitis deminutionem poenam fuisse dicit.[2]) Haec verba primo quidem difficilia videntur sed expedita fient, simulac, quae Bergk de *εἰσαγγελίᾳ* et de arbitrorum collegio coniecerit, exposuero. Harpocrationis enim lexicon s. v. *εἰσαγγελία* Aristotelis verba sic depravata servaverat: *ἄλλη εἰσαγγελία κατὰ τῶν διαιτητῶν· εἰ γάρ τις ὑπὸ διαιτητοῦ ἀδικηθείη, ἐξῆν τοῦτον εἰσαγγέλλειν πρὸς τοὺς δικαστὰς καὶ ἁλοὺς ἠτιμοῦτο.* Pro *δικαστὰς* Bergk[3]) *διαιτητὰς* coniecit, quam coniecturam R. Schöll[4]) aggressus est, Fränkel[5]) defendit[6]). Nunc ea coniectura Aristotele auctore splendidissime comprobatur. *Τοὺς διαιτητάς* Bergk ad collegium arbitrorum inscriptionum testimonio confirmatum ita ret-

1) Kenyon ex Harp. pro *διαιτητὰς δικαστὰς* falso supplevit, quia mss. lectio sensu ei carere videbatur, id quod et Harpocrationi accidisse putandum est. Hardie (Class. Review V, 4. p. 164.) Harpocrationem (eodem quo Hubert argumento, p. 54 adn. 2) iniuria defendit, Kenyonem iure vituperat.

2) Cf. Busolt p. 271, Thumser p. 538, adn. 1.

3) Z. f. d. A. W. 1849, p. 275.

4) De synegoris Att. commentatio p. 16.

5) Die att. Geschwornengerichte p. 73 f.

6) Cf. D. att. Process² p. 334, adn. 382.

tulit, ut singulos arbitros apud consessum totius arbitrorum collegii accusatos ab eoque iudicatos esse putaret. Nec Aristotelis verba aliter intellegenda sunt. Num vero sic rem optime expresserit, inutilis quaestio est. Hoc unum si tenemus, Bergkium hac in re verum vidisse, facile eum in ceteris cum Huberto[1]) sequemur.

Alia veterum testimonia de *εἰσαγγελίᾳ* adversus arbitros haec sunt:

Lex. Segu. (Bekker Anecdota I) p. 235, 24: *τὸν δὲ ἀδικοῦντα διαιτητὴν ἐξῆν εἰσαγγέλλειν καὶ εἴ τις ἑάλω, ἀτιμία ἦν τὸ ἐπιτίμιον* = schol.[2]) ad Plat. leg. XI, p. 926 C.

Dem. or. 21 (adv. Mid.) § 86 sq. *βουλόμενος δὲ τὸ μέλλον λαθεῖν φυλάξας τὴν τελευταίαν ἡμέραν τῶν διαιτητῶν [τὴν τοῦ Θαργηλιῶνος ἢ τοῦ σκιροφοριῶνος γιγνομένην*[3]*], εἰς ἣν ὁ μὲν ἦλθε τῶν διαιτητῶν, ὁ δ'οὐκ ἦλθε, πείσας τὸν πρυτανεύοντα δοῦναι τὴν ψῆφον π ἀρα πάντας τοὺς νόμους, κλητῆρ' οὐδ'ὁντινοῦν ἐπιγραψάμενος, κατηγορῶν ἔρημον, οὐδενὸς παρόντος, ἐκβάλλει καὶ ἀτιμοῖ τὸν διαιτητήν.*

Ac Demosthenes quidem de actione adversus arbitrum, qui officium laeserat, loquitur, sed utrum *εἰσαγγελίαν* an *εὐθύνας* sentiret, multis dubium videbatur[4]).

Itaque priusquam ex hoc loco aliquid concludamus, ibi de *εἰσαγγελίᾳ* agi demonstrandum est. De euthynis arbitrorum nihil accepimus nisi Ulpiani adnotationem[5]), qua docemur morem fuisse, ut arbitri mense Scirophorione in aliquem locum convenirent, ut, si quis eos accusare vellet, adessent et rationem redderent. Praeterea nihil ex antiquis auctoribus de *εὐθύναις* arbitrorum comperimus, *εἰσαγγελίαν* solam testantur. Accedit, quod ne Aristoteles quidem de ratione arbitris reddenda, sed nisi de *εἰσαγγελίᾳ* non loquitur[6]). Itaque Bergk[7]) grammaticum illam adnotationem non e certo auctore sumptam tradidisse sed ipsum invenisse i. e. falsa interpretatione e Demosthenis verbis derivasse putat. Et falsam eam esse interpretationem multi viri docti probaverunt, quorum haec gravissima sunt argumenta.

Ἡ τελευταία ἡμέρα τῶν διαιτητῶν ultimum diem rationum arbitris reddendarum significare prorsus non potest. Sauppii vero coniectura[8]), qui *διαιτητῶν* in *εὐθυνῶν* mutavit, non necessaria ideoque

---

1) p. 51 sq.

2) Ruhnkenius, *Σχόλια εἰς Πλάτωνα* p. 239.

3) Mensium nomina interpolata primus G. H. Schäfer eiecit et plerique auctores eum secuti sunt.

4) Cf. Hubert p. 52, qui omnium auctorum nomina et sententias enumerat.

5) ad Dem. l. c. (542, 15).

6) Cf. Ar. *Ἀθ. πολ.* cap. LIV § 2, ubi de *εὐθύναις* omnium magistratuum (non iudicum et arbitrorum) agitur.

7) Z. f. d. A. W. 1849, p. 274.

8) Jenaer Litteraturzeitung, 1876. Nr. 7. p. 118.

praetereunda est[1]). Tum verba *ἐκβάλλει καὶ ἀτιμοῖ τὸν διαιτητὴν* de arbitro munere fungente intellegenda sunt, qui rationem reddere non debebat[2]). Nec non *ἐκβάλλει* de arbitro e collegarum societate eiecto optime dicitur. Haec sufficere videntur ad eorum sententiam refellendam, qui *ἐνθύνας* arbitrorum fuisse e Dem. Midiana concluserunt. Huberti vero argumentum a similitudine arbitrorum cum iudicibus heliasticis petitum, quos nullas unquam rationes reddidisse constat, accipere non possum. Plurimum enim interest inter iudicem, qui cum permultis aliis suffragia occulta ferebat, et arbitrum, qui solus palamque inter litigantes disceptabat. Iudicem non facile quisquam convincere poterat, arbiter omnibus insidiis obnoxius erat. Quamquam igitur rationem reddere non debuit, tamen *εἰσαγγελία* adversus eum patebat, quae actio non minus improvisa et periculosa erat quam *εὔθυναι*. Neque enim ad deterrendos solum ab iniuria arbitrorum animos idonea erat, sed etiam ad privatam cladem ulciscendam.

Proxima quaestio est, quomodo haec *εἰσαγγελίας* actio intenta et peracta sit. Ac Bergk quidem[3]) a Fränkelio, Lipsio, Huberto summopere laudatus *τὴν τελευταίαν ἡμέραν τῶν διαιτητῶν* intellexit ultimum consessum collegii arbitrorum. Quam significationem R. Schöll inauditam nominat, iure arbitror, si verba urgemus. Sed fortasse nobis continget, ut, quod Bergk recte sensit, cum verborum usu artius coniungamus. *Ἡ τελευταία ἡμέρα τῶν διαιτητῶν* ultimum certe muneris diem significat. Si eodem die et ultimum consessum eorum fuisse probaverimus, id quod volumus assecuti erimus. Ac plures quidem consessus illi primo praecessisse docent verba: *εἰς ἣν ὁ μὲν ἦλθε τῶν διαιτητῶν, ὁ δ' οὐκ ἦλθε.* Nam manifeste opponuntur priores dies, quibus omnes convenerant, ultimo diei, quo neglegentia aucta magna pars domi manebat. Qua vero de causa tot defuisse putemus? Quod hoc die raro accusator exstitit. Parvum enim temporis spatium supererat et multo difficilius habebatur, ea hora arbitrorum animos ad severitatem permovere. Quis enim non animo commovetur, quis non mitior fit ipso anni exitu, praecipue erga collegas, cum quibus XLII annos integre in publicis officiis perseveravit? Midias autem, qua erat auctoritate[4]) et eloquentia, hoc ipso tempore perfecit, quod voluit.

Multo difficilius est accuratius definire, quot consessus illi postremo praecesserint. Nam quae Bergk de singulis arbitrorum prytaniis et de numero consessuum singulorum in unaquaque prytania profert, nihil nisi coniecturae sunt fundamentis firmis

---

1) Cf. Lipsius, D. att. Proc.² p. 333/4 adn. 381.
2) Cf. ibidem.
3) Z. f. d. A. W. 1849. p. 274/5.
4) Mid. § 205 sq.

carentes et corruunt cum eis, quae de numero et sortitione arbitrorum secundum tribus sibi finxit.

Quid autem obstat, quominus et Ulpiano, quod aequum est, tribuamus? Falso ille quidem Demosthenis verba ad euthynas refert, sed quae cetera tradit de eo mense[1]), quo arbitri saepius convenire debebant et accusari poterant, fide mihi non indigna videntur. Ultimo enim mense (Scirophorione) actiones arbitris mandandae fortasse non poterant institui[2]) vel si instituebantur, apud XL viros manebant, donec arbitri insequentis anni munus ingrederentur. Sic arbitris ultimo mense spatium datum erat, ut causas antea susceptas ad finem perducerent, ne quid in proximum annum transferretur[3]) et accusatoribus occasio oblata erat quemvis arbitrum in ius vocandi. Id in consessibus totius arbitrorum collegii fiebat, qui mense duodecimo certe saepius quam antea habebantur. Antecedentibus mensibus singulos consessus[4]) suffecisse puto. Sed haud scio an mense Scirophorione non quotidie convenire debuerint[5]). Postremum autem consessum ultimo die cuiusque anni habitum esse ex Demosthene concludam, ita ut ultimus arbitrorum dies et ultimus eorum consessus uno eodemque verbo exprimi potuerint.

Nec non de ratione illius actionis nonnulla e Demosthenis loco citato concludere licet. Reus citari non debuit, et is, qui consessui praesidebat, eodem die collegas in suffragia mittebat. Capitis deminutio poena erat. Et provocationem ad iudices patuisse viri docti coniecerunt, Aristoteles comprobat. Sed si accuratius rem perspicias, multa non satis dilucida invenies,

Ac Demosthenes quidem saepius Midiam increpat et acerrime in eum invehitur, quod Stratonem legibus contemptis in ius non vocaverit. Quod calliditati oratoris potius quam veri studio tribuendum esse Westermann animadvertit, Bergk (p. 276), Lipsius (D. att. Proc.² p. 335), Hubert (p. 54/5) assensi sunt. Documento enim est, quod Strato postea fecit. Minime rem in integrum restituit (*μὴ οὔσης* actione[6]) sed ad iudices provocavit et ab iis condemnatus est, id quod Fränkel e verbis § 91 *καὶ τοῦτ' ἐχαρίσασθε αὐτῷ* recte conclusit. Sed Fr. Blass hoc loco legendum esse coniecit: *καὶ τοῦτ' ἐχαρίσαθ' αὐτῷ,* qua coniectura sensus plane mutatur. Ego quidem mihi persuadere non possum

---

[1]) Falso Scirophorionem undecimum mensem nominat.

[2]) Causas hereditarias quidem mense Scirophorione ad magistratum deferre non licebat. Cf. D. att. Proc.² p. 607.

[3]) Cf. Bergk, Z. f. d. A. W. 1849, p. 277.

[4]) Eos consessus initio cuiusque mensis fuisse cum Bergkio (p. 277) verisimile duco.

[5]) Bergk quidem (l. c. p. 274) insidiis omnibus sic viam patefectam fuisse censet.

[6]) De actione *μὴ οὔσης* cf. infra p. 41. Hubert p. 48 sqq.

necessariam esse hanc coniecturam, quippe quae dirimat, quod orator simpliciter melius dicere poterat (*ἐπειδὴ γ᾽ ἠτίμωσεν, ὃν ἐβουλήθη καὶ τοῦτ᾽ ἐχαρίσαθ᾽ αὐτῷ*) et debilitet, quae orator fortius protulerat. Nec his verbis solis Fränkelii sententia defendi potest. Cf. Mid. § 92: *καὶ τὴν μὲν κατὰ τοῦ διαιτητοῦ γνῶσιν, ἣν ἀπρόσκλητον κατεσκεύασεν αὐτός, κυρίαν αὐτῷ πεποίηκεν, ἣν δ᾽ αὐτὸς ὦφλεν ἐμοὶ προσκληθείς, εἰδώς, οὐκ ἀπαντῶν, ἄκυρον ποιεῖ.* Nam etsi rhetorice inter se opponuntur: *κύριος — ἄκυρος, ἀπρόσκλητος — προσκληθείς,* tamen fortior oppositio fit et accuratior, si *κυρίαν πεποίηκεν* ad provocationem Stratonis auctoritate et eloquentia Midiae reiectam referimus. Alio loco eiusdem orationis etiam plus confido ad probandam Stratonis provocationem. Quod enim § 90 legimus . . . . *ἄτιμον Ἀθηναίων ἕν᾽ εἶναι δεῖ καὶ μήτε συγγνώμης, μήτε λόγου, μήτε ἐπιεικείας μηδεμιᾶς τυχεῖν,* mea quidem sententia non de actione apud arbitrorum collegium, ubi Strato non aderat nec veniam precari poterat, sed de provocatione apud iudices dicitur, ubi Strato rerum agendarum imperitus [1]) a iudicibus vix auditus est, nedum veniam acciperet [2]), cum Midias civium favore praevaleret. Et hunc locum aliter, vix autem melius interpretari poteris[3]). Strato igitur, cum ad iudices omissa eremodicii restauratione provocaret, iure adversus se actum esse concessit. Sequitur citationem arbitri accusati lege non praescriptam fuisse, quippe cum adesse et accusantes exspectare deberet. Sed multum interest inter usum humanitatis et legis severitatem. Midias sane dolosum et iniquum se praestitit, cum absentem aggressus est[4]). Sed Demosthenes, qua erat calliditate non accurate distinxit inter leges rei publicae et illos *ἀγράφους νόμους*, quibus, quodcunque aequum et honestum est, sancitur.

Altera quaestio est, nonne praeter capitis deminutionem aliae poenae *εἰσαγγηλίας* actione potuerint irrogari. Meiero quidem (p. 15) incredibile visum est, etiam faciliora arbitrorum delicta tam atrociter punita esse, et Schömann [5]) ei assensus est. Secundum Meieri sententiam *ἀτιμία* eis arbitris solis imminebat, qui fraudis aut corruptelae accusati et convicti erant. Ceterorum criminum poenam minorem fuisse et singulis in causis aestimatam esse. Et Lipsius [6])

---

[1]) *ἀπράγμων* Mid. § 83.

[2]) Cf. Dem. or. 45 (adv. Steph.) § 6 *οὕτω διέθηκε τοὺς δικαστάς, ὥστε φωνὴν μηδ᾽ ἡντινοῦν ἐθέλειν ἀκούειν ἡμῶν.*

[3]) Goodell (Am. Journ. of Philol. XII 3, p. 322) voce *καθάπαξ* (Mid. § 87) nisus negat Stratonem ad iudices provocasse, iniuria ut arbitror. Nam *καθάπαξ* (= ein für allemal, ganz und gar) significare videtur, damnum Stratonis irreparabile fuisse. Et profecto a iudicibus non auditus Strato *καθάπαξ ἄτιμος ἐγένετο.*

[4]) Cf. Bergk, Z. f. d. A. W. 1849, p. 276.

[5]) Philologus I. p. 729.

[6]) D. att. Proc.² p. 226.

poenam semper aestimatam esse et ultra capitis deminutionem ipso iure irrogatam damnum accusatori restituendum fuisse censet. Lipsii sententiam veritatis quandam speciem habere concedo, sed Meieri et Schömanni argumentationem laudare non possum. Omnes antiquitatis auctores et ipse Aristoteles *ἀτιμίαν* actione *εἰσαγγελίας* effectam esse tradunt, nemo aliam poenam commemorat. Itaque si *εἰσαγγελία* a praeside collegii accepta erat, certe de *ἀτιμίᾳ* sola agebatur. Sed sine dubio *ὁ πρυτανεύων* potestatem habebat quamvis rem et accipiendi et reiciendi, prout delictum tam gravi poena dignum aut indignum videbatur. Sic leviora crimina per se ipsa foro collegii arbitrorum excepta erant, cum aut a praeside repudiarentur aut ad reum a collegis condemnandum parum sufficerent. Sed ipso muneris officio laeso[1]) certe legum severitas valebat. Eandem igitur libertatem, quam in toto fere iure Attico, et in iurisdictione collegii arbitrorum animadvertere licet.

§ 8.
De arbitrorum collegio.

Tempus est id, quod supra promisimus, praestare et de arbitrorum collegio pauca conferre, coniecturis magis inventa quam certis confirmata documentis. Fontes enim antiquitatis tenuissime manant. Etsi, quod summum est, collegium arbitrorum fuisse negari non poterit, singula tamen incerta sunt. Bergk primus[2]) arbitros collegio coniunctos fuisse contenderat, id quid inscriptione[3]), quae decretum arbitrorum continet, demonstratur: .... *Ἔδοξεν τοῖς διαιτηταῖς ἐπαινέσαι καὶ στεφανῶσαι αὐτοὺς θαλλοῦ στεφάνῳ.*

Sed non solum aliis honores arbitri decreverunt, sed ipsi munere perfuncti laudem et ornamenta acceperunt. Cf. C. I. A. II 2, p. 356: *διαιτηταὶ οἱ ἐπὶ Ἀντικλέους ἄρχοντος ἀνέθεσαν στεφανωθέντες ὑπὸ τοῦ δήμου* et Ross, Demen v. Attika p. 21: *Διαιτηταὶ οἱ ἐπὶ Φρυνίχου ἄρχοντος ἀνέθεσαν στεφανωθέντες τῷ δήμῳ καλῶς καὶ δικαίως διαιτήσαντες.*

Cum his inscriptionibus Aristotelis verba de *εἰσαγγελίᾳ* apud arbitros (cap. 53, 6) simulque Bergkii coniectura ad Harp. s. v. *εἰσαγγελία* optime congruunt.

Quae vero Bergk[4]) de arbitrorum ornamentis iudicavit, mihi falsa esse videntur. Concluserat enim e lex. Cant. adnotatione s. v. *μὴ*

---

1) »Amtsmissbrauch« Busolt p. 271.
2) Z. f. d. A. W. 1849, p. 275/6.
3) *Ἐφ. ἀρχ.* titulus 3818.
4) Rhein. Mus. VII, p. 135 adn. 1.

οὖσα δίκη, iam Demetrii Phalerei temporibus arbitrorum auctoritatem defloruisse et decreta ex Anticlis et Phrynichi archontum annis servata cum hac re coniunxit. Ea de causa illos honoratos esse, ut arbitrorum auctoritas denuo effloresceret. Sed nec quae ille vir doctus e lex. Cant. sibi finxit, nec quae de ornamentis arbitrorum collegio decretis coniecit, satis iustam causam habere videntur. Nam et alia collegia (velut *βουλήν*) et singulos magistratus et sacerdotes muneris anno peracto laudare et coronis ornare Athenis consuetudo erat, nec quidquam inde colligere licet.

Arbitrorum igitur collegium certe exstitit. Sed quomodo id divisum et institutum fuisse putemus? Falsa redarguere facilius erit, quam meliora proponere. Bergk cum arbitros secundum tribus sorte creatos esse censeret, arbitrorum collegium in decem prytanias, quae ex arbitris singularum tribuum constarent, divisum voluit. Quae omnia Hubert bene refellit et arbitros e cunctis civibus, non e tribubus, sorte creatos esse contendit, postquam Schömann rectam interpretationem (Dem,) or. 47 § 12 invenit. Sed quae Hubert (p. 30) de partitione collegii arbitrorum nova construxit et Lipsius[1]) laudavit, nec necessaria nec meliora sunt. Nam. e Ps. Demosthenis verbis minime concludendum est, arbitrorum collegium in decem partes singulis tribubus destinatas divisum fuisse, sed s i n g u l a e t r i b u s c e r t a l o c a h a b u e r u n t, u b i a r b i t r i c a u s a s e o r u m, q u i e x i l l a t r i b u a c c u s a t i e r a n t, i n s t r u e b a n t. Omnium autem sententiae ex illo lapide ab Aristotele (cap. 55, 5) commemorato pronuntiabantur. Quae supra disputata latius repetere inutile est.

Indivisum igitur arbitrorum collegium erat nec tam arte cohaerebat, quam alia collegia, quae saepius conveniebant. Unum vero de praeside collegii testimonium habemus, Dem. Mid. § 87 *πείσας τὸν πρυτανεύοντα δοῦναι τὴν ψῆφον παρὰ πάντας τοὺς νόμους.* Qui cum *πρυτανεύων*, non *πρύτανις* dicatur, non in omnibus consessibus idem fuisse videtur. Sed a quo et quomodo creatus sit, nisi coniecturis investigari non potest. Praeses sine dubio unus ex arbitris fuit[2]). Secundum prytanias[3]) eligi non potuit, quod prytaniae arbitrorum non fuerunt. Sed aliud mihi in mentem venit. Quadraginta viros catalogum arbitrorum in manibus habuisse et inde singulis causis arbitros sorte elegisse ex Aristotelis cap. 53. § 5 discimus. Quid verisimilius est, quam eosdem arbitrorum collegio unum ex universo eorum numero sorte creatum praefecisse, quotiescunque ad consessum conveniebant?

---

[1]) D. att. Proc.² p. 1015.
[2]) Cf. Bergk Z. f. d. A. W. 1849, p. 276; Hubert p. 54. Busolt p. 271.
[3]) Cf. Bergk ibidem et Lipsius D. att. P.², p. 334. adn. 38.

Fränkel[1]) arbitrorum collegium cum nomothetarum collegio comparavit. Quorum praesidem *βουλήν* destinavisse constat. Itaque si quid simile de arbitris coniciemus, non ita longe a vero aberrabimus.

Praesidis potestas fuit ea, quae in consessu agebantur, regere et de *εἰσαγγελίαις* ab ipso acceptis arbitros in suffragia mittere[2]). De numero consessuum supra disputatum est. Duodecimo mense plures consessus habebantur, prioribus mensibus singulos fere suffecisse putaverim.

§ 9.

Quibus in causis arbitri iudicaverint.

Quibus in causis arbitris iudicandi fuerit potestas, et Meier (p. 18 sq.) et Hubert (p. 35 sq.) multo cum studio quaesiverunt. Meier incertis argumentis ductus complures causas foro eorum excepit; Hubert (p. 39) contendit, lege Lysiae temporibus lata omnes privatas civium causas praeter eas, quae *δίκαι ἐμποριχαί* dicebantur, apud arbitrum agi debuissse. Peregrinis autem apud arbitros certare non licuisse. (Cf. Suid. s. v. *διαιτηταί* et lex. Segu. p. 310, 17. Psellus 102 [3]).

Dividamus igitur totam quaestionem ab Aristotele splendidissime illustratam et primum loquamur

A. De peregrinorum iurisdictione.

Peregrinorum causas ad polemarchum delatas esse dudum cognitum erat. Cetera Aristoteles in cap. LVIII, quod de polemarcho est, hac ratione explicat:

Δίκαι δὲ λαγχάνονται πρὸς αὐτὸν ἴδιαι μόνον αἵ τε τοῖς μετοίκοις καὶ τοῖς ἰσοτελέσι καὶ τοῖς προξένοις γιγνόμεναι· καὶ δεῖ τοῦτον λαβόντα καὶ διανείμαντα δέκα μέρη τὸ λαχὸν ἑκάστῃ τῇ φυλῇ μέρος προσθεῖναι, τοὺς δὲ τὴν φυλὴν δικάζοντας[4]) *τοῖς διαιτηταῖς*

---

1) Die att. Geschworneugerichte p. 74.

2) Cf. Dem. Mid. § 87.

3) Cf. Thumser p. 592.

4) i. e. pagorum iudices, quorum quaterni singulas tribus iudicabant. Hos significari documento est Ar. *Ἀθ. πολ.* cap. 48, § 5 *τοῖς δικασταῖς τοῖς κατὰ δήμους, οἳ τὴν φυλὴν ταύτην δικάζουσιν.* Cf. ibidem cap. 53, 2. Huc pertinent duo oratorum loci: Lys. 23, § 2; Isae. apud Harp. s. v. *ὅτι.* Inepta est Kenyonis adnotatio p. 130 s. v. *τοῖς ἐπὶ.*

ἀποδοῦναι. αὐτὸς[1]) *δ' εἰσάγει δίκας τάς τε τοῦ ἀποστασίου καὶ ἀπροστασίου*[2]) *καὶ κλήρων καὶ ἐπικλήρων τοῖς μετοίκοις, καὶ τἆλλ' ὅσα τοῖς πολίταις ὁ ἄρχων, ταῦτα τοῖς μετοίκοις ὁ πολέμαρχος.*

Quem locum Pollux VIII, 91 excerptum et mutilatum servaverat, ita ut sensus nullo modo recte explicari potuerit: *Δίκαι δὲ πρὸς αὐτὸν λαγχάνονται μετοίκων, ἰσοτελῶν, προξένων, καὶ διανέμει τὸ λαχόν, ἑκάστῃ φυλῇ τι μέρος, τὸ μέν διαιτηταῖς παραδιδούς, εἰσάγων δὲ δίκας ἀποστασίου, ἀπροστασίου, κλήρων, μετοίκων.*

Nam quomodo et *φυλαί* i. e. pagorum iudices singularum tribuum et *διαιτηταί* eadem in re coniungerentur, prorsus nemo intellegere poterat. Itaque virorum doctorum alii alia[3]) coniecerunt, ut locum sanarent. Quae omnia Hubert (p. 29) in unum contulit. Sed nunc inutilia et praetereunda sunt. Pollucis enim locus non scribarum mendis corruptus erat, sed auctor ipse rem ignorabat ideoque eam obscuravit et implicuit, nec coniunctis virorum doctorum studiis contigit, ut omnes tollerentur difficultates. Immo novae cummulatae sunt, cum Pollucis locum ad eam rationem, quae inter tribus et arbitros intercederet, pertinere putarent. Quod transpositis demum verbis in *τὸ μὲν διαιτηταῖς παραδιδούς, ἑκάστῃ φυλῇ τι μέρος* effecta est. Haec Hubert recte redarguit, sed in eo erravit, quod Pollucis verba ad solos pagorum iudices rettulit, arbitrorum vero nomen interpolatione insertum esse censuit. Sed si recte interpretamur, Aristoteles de utrisque dicit, et pagorum iudicibus et arbitris, quibus polemarchus plurimas causas a peregrinis acceptas diiudicandas tradebat. Ipse autem actionum privatarum, quas solas accipiebat, non plus quattuor[4]) instruebat et ad iudices heliasticos ferebat. Ceteras causas privatas pagorum iudicibus mandabat, qui res pluris quam decem drachmis aestimatas arbitris iudicandas sorte distribuebant[5]). Si autem litigantes arbitrio non acquiescebant, provocatione res ad illos redibat, non ad polemarchum, quod verbis oppositis *αὐτὸς δ' εἰσάγει* efficitur. Sic a polemarcho per pagorum iudices ad arbitros via ferebat, longinqua illa quidem sed, ut infra exponemus, similiter et in aliis causis usitata.

Sed Aristotelis verba *διανείμαντα δέκα μέρη τὸ λαχὸν ἑκάστῃ τῇ φυλῇ μέρος προσθεῖναι* accuratiore explicatione egere videntur.

---

[1]) Cf. Harp. s. v. *πολέμαρχος*.

[2]) Actionem *ἀπροστασίου* adhuc publicam duximus. Cf. D. att. Proc.[2] p. 388 sq. Aristoteles eam inter privatas enumerat.

[3]) Hudtwalcker p. 69; Meier p. 18, 19; Schömann Philologus I, p. 729; (Schenkl, Wiener Studien II, p. 214 sq).

[4]) sc. *ἀποστασίου, ἀπροστασίου, κλήρων, ἐπικλήρων.*

[5]) Cf. Darestii eandem interpretationem in Séances et trav. de l'ac. d. sc. mor. et pol. p. 353 (1891, II. Sem).

Polemarchus non, ut rem acceperat, sine mora eam sorte pagorum iudicibus alicuius tribus tradere solebat, sed quo aequior esset partitio, donec complures causae (certe decem vel plures) cumularentur, exspectabat. Eas in decem partes divisas sorte inter quaternos pagorum iudices dispertiebat, qui causas mandatas non ipsi instruebant, sed arbitris sorte tradebant. Hac ratione iudicia nimis retardata esse crederes. Sed celeriter puto factum esse, ut decem causae apud polemarchum convenirent, nisi forte singulos dies numeramus. Sorte autem opus erat, quod peregrini tribuum non erant participes. Nam civium causas pagorum iudices eius tribus accipiebant, cuius reus erat. Idem tum servatum esse verisimile est, si alter litigantium peregrinus, reus civis erat, quamquam Aristoteles hoc praeterit. Sed haud scio an plus sumendum sit. Fortasse etiam is peregrinus, qui a cive accusabatur, ante tribum civis[1]) vocabatur, ita ut, nisi uterque litigantium peregrinus erat, tribus iudicum non sorte electa sit.

Sed redeamus ad virorum doctorum sententias examinandas. Quorum etsi complures repudiata Hudtwalckeri sententia negaverunt, peregrinis apud arbitrum certare licuisse, tamen Meier (p. 19) et Schömann[2]) recto sensu ducti id concesserunt, eis causis, in quibus civis peregrinum accusabat, ut ille *πρυτανείοις* liberaretur, viam ad arbitros patuisse. Sed hoc concesso tota sententia labefactata erat et Hubert nequiquam eam restituere conatus est. Quam pertinaciam summopere miror. Nam quae Suidas s. v. *διαιτητάς* et lex Segu. p. 310, 17 exhibent, sensu plane carent, id quod iam Hudtwalcker (p. 40/41) recte animadvertit[3]). Sed verba ipsa grammaticorum afferre operae pretium est.

Suidas l. c. *τοὺς ὑπὲρ πεντήκοντα ἔτη γεγονότας — τὰ τῶν πολιτῶν διαιτᾶν ἐποίουν. ξένοις μέντοι γε ἐπὶ τοῦτο ἐλθεῖν οὐ συγκεχώρητο* (*τούτους* ci. Hemsterhuysius, Hubert (p. 35) assensus est).

Lex. Segu. l. c. *οἱ διαιτηταὶ πᾶσαν δίκην δικάζουσιν πλὴν τῶν ξενικῶν.*

Cf. adversus haec Ar. *Ἀθ. πολ.* 58, 3 = Poll. VIII, 91. Aristotelis loco comparato quis dubitet, quem sequatur? Attamen non ineptum est quaerere, quibus de causis grammatici tam longe a vero aberraverint.

Ac primum quidem, quod Huberti summum argumentum est (p. 35), apud oratores nulla causa occurrit, ubi peregrinus apud arbitrum certaverit. Idem fortasse veteres animadverterunt. Nam etsi plures orationes quam nos habuerunt, tamen numerus eorum

---

1) i. e. pagorum iudices civis tribui destinatos.
2) Philologus I, p. 729.
3) Ne Lipsius quidem his testimoniis multum auctoritatis tribuit. D. att. Proc.[2] p. 825 adn. 176.

librorum, qui legebantur, labentibus saeculis sic deminutus est, ut posteriores grammatici e celeberrimis Demosthenis orationibus solis scientiam suam de antiqua dudumque abolita arbitrorum institutione hauserint. Nobis omnino vix viginti orationes, quae ad arbitros publicos pertinent, relictae sunt. Minime igitur mirum est, quod in his paucis reliquiis peregrinorum lites casu locum non invenerunt.

Alia maioris momenti causa haec esse videtur. Multum interest, quid voce peregrinorum significetur. Si sub voce *ξένοι* omnes civitatis expertes velut *μέτοικοι, ἰσοτελεῖς, πρόξενοι* intellegendi sunt, grammatici plane falsa tradiderunt, sin autem *ξένους* angustiore sensu circumscribimus et omnes modo commemoratos excludimus, ita ut soli *ξένοι παρεπιδημοῦντες*[1]) supersint, optimus sensus efficitur. Nam *ξένους* sic intellectos etiam Aristoteles iudicio arbitrorum exemit et Meieri coniectura, qui (p. 18) *ξένους* apud Pollucem supplere voluit, Aristotelis verbis refutatur[2]). Quamquam igitur contendere nolim, grammaticos tam accurate distinxisse, tamen talem distinctionem in fontibus eorum causam duco, cur *ξένους* omnino arbitrorum foro exceperint.

Quae vero Hudtwalcker (p. 38/9) adversus grammaticorum errores protulit, partim falsa partim vera sunt. Illis secretis cetera etiam hodie valent, a posteriorum argumentationibus Aristotelis auctoritate defensa. Ac falso quidem vir doctus Suidae verba *ἐπὶ τοῦτο ἐλθεῖν* (= arbitrum fieri) interpretatus est. Sed optime illius legis iniquitatem illustravit, quae peregrinos apud arbitros certare vetaret. Nam simul cum peregrinis cives damna fecissent, quibus, si cum civibus litigabant, sola parastasis solvenda erat, sin cum peregrinis res erat, *πρυτανεῖα* impendebant, qui sumptus multos a iure persequendo deterrere poterat. Hoc argumentum Meier non refellit, cum dicat, ea lege praecautum esse, ne peregrini apud iudices incommoda paterentur. Nam haec peregrinorum cura a veterum Graecorum consuetudine abhorrebat, civium utilitas praeferebatur. Et civibus certe ea lex nocuisset, peregrinis commoda non parasset. Nam peregrini non minus quam cives *πρυτανεῖα* solvere verebantur et saepe iniuriam pati maluissent, quam sumptuosam litigandi viam ingredi.

Eaedem causae, quibus arbitrorum inter cives iurisdictio commendabatur, sc. ut sumptus et privatorum et rei publicae minu-

---

1) i. e. parvum temporis spatium in urbe morantes.

2) Cf. Lipsius, Berichte etc., p. 53 adn. 2: Dem Gesetz nach waren Fremde, soweit sie nicht in Attika ansässig waren, nur für *δίκαι ἀπὸ συμβόλων* u. Handelsklagen rechtsfähig.

erentur, utque magistratuum onera levarentur, etiam ad lites peregrinorum inter se et cum civibus agendas valebant[1]).

Restat ut de iudiciis servorum, qui inter peregrinos quodammodo numerandi sunt, pauca addamus. Servorum causae non ad polemarchum deferendae erant, sed ad ipsos pagorum iudices[2]). Cf. Harp. s. v. *ὅτι· ὅτι πρὸς τὴν φυλὴν τοῦ κεκτημένου αἱ πρὸς τοὺς δούλους λαγχάνονται δίκαι. Τὴν φυλὴν* ad pagorum iudices referendum esse, non ad arbitros, Hubert (p. 28/9) adversus Schömannum[3]) probavit. Sed Lipsius eum in secunda eiusdem libri editione[4]) antevenerat, id quod O. Landwehr[5]) vituperavit. — Pagorum iudices servorum causas ad se delatas sorte arbitris tradebant, si pluris quam decem drachmis aestimabantur. Huc pertinet Dem. or. 55 (adv. Callicl.) § 31: *καὶ νῦν αὐτὸς ἐρήμην μου καταδεδιῄτηται τοιαύτην ἑτέραν δίκην, Κάλλαρον ἐπιγραψάμενος τῶν ἐμῶν δούλων· πρὸς γὰρ τοῖς ἄλλοις κακοῖς καὶ τοῦτο εὕρηνται σόφισμα· Καλλάρῳ τὴν αὐτὴν δίκην δικάζονται. Καίτοι τίς ἂν οἰκέτης τὸ τοῦ δεσπότου χωρίον περιοικοδομήσειε μὴ προστάξαντος τοῦ δεσπότου.* Ex hoc loco de universis contra servos[6]) actionibus optime iudicare possumus.

Servum ipsum iure persequi licebat, si quis iniussu eri aliquid deliquerat[7]). Adversarii saepe hac actione ad insidias ero parandas usi esse videntur. Nam si servus condemnatus erat, erus damnum ferre et multam solvere debebat, nisi servus eam e peculio restituere poterat. Itaque Tisiae filius iure dicit: *ἐρήμην μου καταδεδιῄτηται* de actione adversus servum intenta, cum e verbis infra positis manifestum fiat, servum ipsum ob idem crimen in ius vocatum esse, cuius etiam dominus accusatus erat. In eadem causa duas actiones videmus, non coniunctas sed separatas, unam adversus erum, alteram adversus servum ad pagorum iudices delatam ab eisque arbitris traditam.

Sed priusquam huic capiti finem imponam, totam de iurisdictione peregrinorum quaestionem disputatione longiore dispersam brevibus complecti liceat.

---

1) Cur Lipsius (Berichte etc. p. 55) eas inquilinorum causas solas, quae ad rem familiarem pertinebant, XL virorum foro attribuerit, ceteras exceperit, non intellego. Thumser p. 591 adn. 5 *ἐμμήνους δίκας* solas excipit.

2) Praeter *δίκας κακηγορίου (ας)*, quae apud thesmothetas agebantur, *ἐὰν δοῦλος κακῶς ἀγορεύῃ τὸν ἐλεύθερον*. Poll. VIII, 88; cf. Arist. *Ἀθ. πολ.* 59, 5 *καὶ δοῦλον, ἄν τις τὸν ἐλεύθερον κακῶς λέγῃ (τιν'* pro *τὸν* ci. Richards; falso, ut e Poll. loco intellegitur). Cf. D. att. Proc.^{2} p. 80 adn. 105.

3) D. att. Proc.^{1} p 573.

4) D. att. Proc.^{2} p. 766.

5) Wochenschr. f. kl. Philol. III, p. 521/22.

6) Servus accusari poterat, non accusare. D. att. Proc.^{2} p. 749.

7) D. att. Proc.^{2} p. 766, adn. 57.

Peregrinorum lites ad polemarchum deferebantur, ab eoque — quattuor causis exceptis — sorte per pagorum iudices ad arbitros transibant. Si provocatio fiebat, a pagorum iudicibus recipiebatur. Servi et ipsi quidem inter peregrinos numerandi sunt, sed eos accusantibus polemarchum adire non licebat, cum pagorum iudices ipsi eas lites acciperent et arbitris diiudicandas traderent. Haec exceptio etiam ab eis concessa est, qui sententiam tenebant, civibus solis apud arbitros disceptare licuisse. Cui necessitati Hubert (p. 35) argumentis se subduxit, quae verba servent, rem deserant. Nunc autem omnia optime congruunt, postquam Aristotelis doctrinam accepimus.

B. De civium causis.

Multo difficilior altera quaestio est, utrum omnes civium causae privatae ad arbitrorum provinciam pertinuerint necne. Arbitros civium causas a pagorum iudicibus sorte accepisse omnes antiquitatis auctores cum ipso Aristotele testantur. Nam omnes causas, quae pluris quam X drachmis aestimabantur, non pagorum iudices instruebant, sed arbitri ab iis sorte electi[1].

At miror, quod omnibus fere[2], qui de arbitris verba fecerunt, et Aristoteli[3] ipsi unum quasi praeterire vel brevibus verbis absolvere[4] placuit, quod mihi quidem maximi momenti esse videtur. Non enim pagorum iudices soli, sed etiam alii magistratus arbitris causas instruendas tradebant, id quod ex orationibus Demosthenis satis intellegitur. Eundem sensum Lipsius[5] verbis Pollucis (VIII, 93) supposuit: *εἰσαγωγεῖς ἀρχῆς κληρωτῆς ὄνομα· οὗτοι δὲ τὰς δίκας εἰσήγαγον πρὸς τοὺς διαιτητάς.* Nam Pollucis adnotationem mutilatam et confusam nihil aliud significare putat, nisi magistratuum suas quemque causas arbitris tradidisse. Si provocatio fiebat, ipsi rem ad iudicium, cui praesidebant, ferebant (*εἰσῆγον*).

Sed operae pretium est, omnes eas causas afferre et com-

---

[1]) Cf. Aristot. *Ἀθ. πολ.* 53, 2.

[2]) Praeter Hudtwalckerum p. 64—74.

[3]) cap. LVI, 6 legimus de archonte: *γραφαὶ δὲ καὶ δίκαι λαγχάνονται πρὸς αὐτόν, ἃς ἀνακρίνας εἰς τὸ δικαστήριον εἰσάγει* etc. Hoc loco *ἀνακρίνας* non ad *δίκας* quadrat, quae ab arbitris instruebantur, sed de *γραφαῖς* solis intellegendum est. Hanc totam materiam Aristoteles minore cura aut scientia tractavit.

[4]) Hubert p. 39.

[5]) Lipsius D. att. Proc.[3] p. 94/5. Nimis audacia et parum vera de hoc. loco et de collegio *εἰσαγωγέων* Goodell construxit (Am. Journ. of Philol. XII, 3 p. 325); cf. infra p. 37, adn. 4.

parare, in quibus arbitros munere functos esse e Demosthenis et Lysiae orationibus compertum habemus. In causis enumerandis ordinem magistratuum, quorum ad forum pertinebant, sequemur.

I. Archontis actiones.

Ἐπιτροπῆς: Lys. or. 32 adv. Diogit[1].
Dem. or. 27 et 29 adv. Aphob.

Κλήρου[2]: Dem. or. 43 adv. Makart.

In testimonio (§ 31) arbitrorum mentio fit. Quod testimonium si contra Wachholtzii[3] et Huberti sententiam, ut alii volunt[4], falsum esset, tamen eo probaretur antiquitatis viros doctos causas hereditarias arbitrorum foro alienas non putavisse. Et hoc sane testimonii loco est.

Status familiae: Dem. or. 40 adv. Böotum § 10[5].

Actio *εἰς δατητῶν αἵρεσιν*[6] item ad archontem deferebatur, sed singularis est nec cum his causis comparanda.

II. Thesmothetarum actiones.

Κλοπῆς: Dem. adv. Androt. (or. 22) § 27/8. Hac in causa quattuor actiones patebant, e quibus *δίκη* et *γραφή* ad thesmothetarum forum pertinebant[7], *δίκη* arbitris erat tradenda.

Status civitatis: Lys. or. 23 adv. Pancleon.[8].
Isae. or. 12 adv. Euphilet.
(Dem.) or. 59 adv. Neaer. § 60.

III. XL virorum actiones.

Αἰκίας[9]: Aristoteles hanc actionem inter *ἐμμήνους δίκας* enumerat. Sed cum e Demosth. or. 37. (adv. Pantainet. a. 364/5 a. Chr. n. habita) intellegatur, eam litem ad pagorum iudices delatam esse, Lipsius conclusit, forum huius actionis brevi post illam orationem mutatum esse[10]. Huc pertinent hae Demosthenis orationes:

---

1) Cf. Meier p. 20, adn. 4.
2) Cf. Hubert p. 38.
3) Wachholtz, De lit. instr. in Dem. qu. f. or. in Macartatum, Kiel 1878, p. 12.
4) velut Blass (ed. Teubner).
5) D. att. Process.² p. 530.
6) Cf. Hudtwalcker p. 69, adn. 10; Meier p. 29; Lipsius, D. att. Proc.² p. 482 sq.; Hubert p. 55/6.
7) Cf. D. att. Proc.² p. 452.
8) Cf. D. att. Proc.² p. 439.
9) Cf. Lipsius, Berichte etc. p. 57.
10) Cf. infra p. 37.

or. 47 adv. Euerg. et Mnes. § 5, 12 etc.
or. 54 adv. Con. (anno 341 vel 356/5 a. Chr. n. habita [1]).

Βλάβης:
Dem. or. 52 adv. Callipp. § 14.
or. 55 adv. Callicl.
or. 39 adv. Boeot.[2])

Κακηγορίας[3]):
Lys. or. 10 adv. Theomnest.
Dem. or. 21 adv. Mid. § 81.

Χρέους: Dem. or. 49 adv. Timoth.
Lys. frg. 10 adv. Archebiad.
Dem. or. 40 adv. Boeot. (?) } [4])
Dem. or. 41 adv. Spud. (?) }

Ἀφορμῆς:
Dem. or. 36 pro Phorm. (§ 18, 33).
Dem. or. 45 et 46 adv. Steph. (or. 45 § 10, 17 etc.)

Consulto *εἰσαγωγέων* actiones adhuc praeterii. In hac enim quaestione complures difficultates accuratiore disputatione indigentes removendae sunt.

Εἰσαγωγεῖς[5]) collegium erant quinque virorum, qui *δίκας ἐμμήνους* intra eundem mensem, quo delatae erant, ad iudices ferebant. Antea paene ignoti erant; nam quae Pollux VIII, 101 de eis tradidit, apud multos fidem non invenerant, dum Pollucis adnotatio inscriptione (C. I. A. I, 37) confirmata est, quae nomen *εἰσαγωγέων* exhibet. Nunc Aristotelis cap. LII, 2 tota de *δίκαις ἐμμήνοις* quaestio illustratur. Nobis autem non de *εἰσαγωγεῦσι* dicendum est, sed hoc quaerendum, num inter eos et arbitros ulla ratio intercesserit. Lipsius[6]), vir doctissimus, hoc quidem iure negavit[7]), cum diceret ob exiguum temporis spatium his actionibus datum arbitros non adhibitos[8]) esse. Cui obstare videtur, quod eis in actionibus, quae apud Aristotelem *εἰσαγωγεῦσι* tribuuntur, duae exhibentur, quas arbitris traditas esse e Demosthenis

---

1) Westermann, Demosth. ausg. Red. III. B, p. 112.
2) Cf. Meier, p. 20 adn. 9.
3) Cf. D. att. Proc.² p. 80, adn. 105; p. 628. Servi huius criminis rei a thesmothetis iudicabantur.
4) Certe non *προικός*; cf. Ar. cap. 52, § 2 et Lipsius, Berichte p. 57 adn. 1.
5) Cf. D. att. Proc.² p. 94.
6) Berichte etc. p. 58.
7) Similiter Busolt p. 270; Thumser p. 592.
8) Verbis autem *τὰς ἄλλας δίκας*, cap. 53, 1 non tantum attribuam, quantum Lipsius, quippe cum non ad arbitros sed ad XL viros referenda sint et multae aliae causae non ad XL viros sed ad X archontes deferendae postea sequantur.

orationibus concluderes, *προικός* dico et *αἰκίας*. Quae difficultas magis speciosa quam gravis est.

Nam quod Lipsius de oratione Dem. 41 confirmat, eam in causa *προικός* non habitam esse [1], idem de oratione 40 (adv. Boeotum) dicendum est. Interest enim aliquid inter actionem *προικός*, qualem Aristot. (cap. 52, 2) significat: *ἐάν τις* (i. e. *κύριος γυναικὸς*) *ὀφείλων* (sc. *τῷ γεγαμηκότι*) *μὴ ἀποδῷ* (sc. *τὴν ὁμολογηθεῖσαν προῖκα*) et actionem *ὑπὲρ* vel *περὶ προικός* (velut *μητρῴας*, or. 40) multo post matrimonium initum adversus eos intenta, qui partem dotis antea non solutam hereditate acceperunt et reddere recusant. De actione *αἰκίας* supra diximus (p. 35). Testimonia Demosthenis et Aristotelis inter se contraria Lipsii interpretatio coniungit. Idem assequemur, si aliam simpliciorem explicandi rationem adhibuerimus. Fortasse forum huic actioni constitutum non mutatum est, sed si quis *δίκην αἰκίας* alicui intendebat, duae viae ac litem peragendam patebant, *ἔμμηνος δίκη* ad *εἰσαγωγέας* delata et *δίκη* simplex XL viris aditis. Haec certandi ratio minores sumptus poscebat, illa brevior et certior erat [2]. Actio adv. Cononem (Dem. or. 54) certe non *ἔμμηνος* fuit, cum toto fere anno post iniuriam illatam ad iudices veniret [3].

Unum igitur manifestum est, *δίκας ἐμμήνους* ad arbitros nunquam descendisse [4]. — Idem de causis *ἀποδεκτῶν* [5] intra mensem diiudicandis dicendum est. Etiam *ἐμπορικαὶ δίκαι* excipiendae sunt, quia eis in causis forum ad personas se non applicabat [6]. (Hoc [Dem.] or. 34 § 18 comprobatur). *Δίκαι μεταλλικαὶ* et *δίκαι*

---

1) Berichte etc. p. 57 adn. 1.

2) Cf. Dem. or. 22 (adv. Androt.) § 27/8, ubi quattuor actiones *κλοπῆς* enumerantur.

3) D. att. Process² p. 649.

4) Contraria docet Goodellius in Am. Journ. of Philol. p. 323 sqq. Sed si suis quisque coniecturis plus confideret quam accurata auctorum veterum interpretatione, quo perveniremus? *Εἰσαγωγεῖς* non a litigantibus ipsis sed per ceteros magistratus *δίκας ἐμμήνους* accepisse dicuntur. At desunt testimonia antiquitatis! Aristoteles vero aperte dicit (cap. 52, 3) *οὗτοι μὴν οὖν ταύτας δικάζουσιν ἐμμήνους εἰσάγοντες* nec aliter de eis loquitur ac de ceteris magistratibus, qui iuris dicendi habebant potestatem. *Εἰσαγωγεῖς* arbitris causas mandavisse dicuntur; nimirum ut celerius iudicarentur! Equidem puto *δίκαις ἐμμήνοις* breviorem non longiorem ad iudices viam fuisse. Itaque Lipsio assentiri non dubito.

5) Cf. Ar. *Ἀθ. πολ.* cap. 52, 3.

6) Cf. D. att. Proc.² p. 68, 1011. Hubert p. 38. Goodell, l. c. p. 323 Aristotelem in cap. 52 § 2 *δίκας ἐμπορικάς* falso omisisse putat, cum grammaticorum Pollucis et Harp. locis eas *ἐμμήνους* fuisse intellegatur; thesmothetas eas actiones accepisse (Ar. cap. 59 § 5) et *εἰσαγωγεῦσι* tradidisse. Sed in Ar. cap. 52 § 2 *δ. ἐμπ.* non casu omissae esse videntur, sed quia ad thesmothetarum forum pertinebant, qui eas eodem mense ad iudices ferebant. Cf. ea, quae Ar. cap. 52 § 3 de *ἀποδεκτῶν* actionibus dicit.

ἀπὸ συμβόλων adiciendae sunt[1]). Quibus exceptis omnes[2]) privatae civium causae a suis illis quidem magistratibus acceptae, sed ab arbitris instructae et primo diiudicatae sunt; tum si provocatio fiebat, ad magistratum suum quaeque res redibat. Quod si non omnium magistratuum, qui arbitrorum opera utebantur, exempla servata sunt, non multum differt, tot orationibus perditis, longe plurimis omnino non editis. Si vero in unum conferre licet, quos supra enumeravimus, hos magistratus oratores testantur: archontem, thesmothetas, pagorum iudices in privatis civium causis, polemarchum in peregrinorum litibus. Sed et ceteros magistratus causas privatas arbitris tradidisse putandum est, quamquam nullum veterum testimonium affere possumus.

Omnes eos locos, qui huic sententiae obstare videntur, Hubert p. 37 sq. recte interpretatus est. De uno loco Ps. Demosthenis (or. 42 in Phaenipp. § 12) in re non dubia dubitanter locutus est. Nam Heffter[3]) et Hudtwalcker[4]) e [Dem.] verbis: *ἡγησάμενος δ'ἐγὼ καὶ μετρίου καὶ ἀπράγμονος εἶναι πολίτου μὴ εὐθὺς ἐπὶ κεφαλὴν εἰς τὸ δικαστήριον βαδίζειν* concluserant, arbitrum publicum in actione *ἀντιδόσεως* munere non functum esse. Haec argumentatio non modo dubia sed falsa est. Nam orator opponit iudicium et compromissum, *δικαστήριον* et *διάλυσιν*; arbitri autem publici ad *δίκην*, privati arbitri ad *διάλυσιν* pertinent. Et si Phaenippi adversarius praeceps in iudicium ruisset, res ad publicos arbitros instruenda transisset.

§ 10.

De ratione, quae inter pagorum iudices et arbitros intercedebat.

Supra demonstratum est, non solum pagorum iudices sed etiam alios magistratus arbitris causas instruendas tradidisse. Attamen illi cum arbitris artius coniuncti erant, quam ceteri magistratus. Tota autem quaestio apud Hubertum perspicuitate caret. P. 36 omnes fere causas privatas decem drachmarum pretium transeuntes apud arbitros actas esse dicit, ita quidem, ut pagorum iudices *ἡγεμόνες* essent. P. 39 adversus Poll. VIII, 93 eum magistratum, qui in quaque re potestatem iuris dicendi haberet, rem accepisse arbitroque tradidisse contendit.

---

1) Cf. D. att. Proc.² p. 68.

2) Idem docet articulus additus in schol. ad Plat. leg. XI, p. 926 C. *διαιτηταί, ἐν οἷς εἰσήγοντο αἱ ἰδιωτικαὶ δίκαι*, id quod Hubert p. 39 animadvertit.

3) Die athenäische Gerichtsverfassung, p. 288.

4) p. 34, adn. 34.

Haec minime congruunt. Nunc vero novis adiumentis aucti etiam hanc difficultatem facile removebimus.

Ab Arist. cap. 53 § 5 initium disputandi faciamus: *Τὸν δὲ τελευταῖον τῶν ἐπωνύμων λαβόντες οἱ τετταράκοντα διανέμουσιν αὐτοῖς τὰς διαίτας καὶ ἐπικληροῦσιν, ἃς ἕκαστος διαιτήσει.* Hoc sortitionis officium primum ad eas causas, quae ad forum XL virorum deferendae erant, pertinuisse consentaneum est. Sed et verba Aristotelis et exemplum polemarchi[1]) et fortasse euthynorum[2]) colligere permittunt, ceteros magistratus arbitros sortiendi potestatem non habuisse sed XL viros adire debuisse, ut arbitrum, qui rem acciperet, sorte crearent. Sed accuratius distinguendum est. Polemarchum enim et euthynos res a foro suo remissas totas XL viris tradere videmus, ceteri magistratus, etsi arbitris causas instruendas et iudicandas mandaverant, tamen *ἔφεσιν* retinebant, i. e. si provocatio fiebat, non ad pagorum iudices, qui arbitrum sorte elegerant, sed ad suum quaeque magistratum res redibat. Quod Harpocr. (s. v. *διαιτηταί*) rectius quam Aristoteles exprimere videtur, cum dicat: *καὶ σημηνάμενοι παρεδίδοσαν τοῖς εἰσαγωγεῦσι τῶν δικῶν,* cum Aristoteles (cap. 52, 2/3) eius unius provocationis meminerit, quae ad XL viros deferenda erat[3]). Sed ei quoque magistratus, qui hoc modo rem arbitris mandatam foro suo reservabant, arbitros non ipsos elegisse, sed quadraginta virorum opera eguisse mihi quidem videntur. Qui cum soli catalogum arbitrorum fortasse ab ipsis *δοκιμασίᾳ* renovatum et correctum in manibus haberent, praeteriri non poterant. Sic viam ad arbitros nisi per XL viros omnino non fuisse efficitur[4]). Inde supra conclusimus et praesides collegii arbitrorum, qui singulis consessibus praeerant, a XL viris sorte destinatos esse.

Haec ratio inter arbitros et pagorum iudices intercedebat, implicita illa quidem et annorum cursu paulatim mutata, dilucida vero et facilis ad intellegendum, si prioris simplicitatis vestigia persequaris (Cf. infra p. 47/8).

---

1) Ar. *Ἀθ. πολ.* cap. 58, 2.

2) Aristot. cap. 48, 5. Auctor de altero genere *εὐθυνῶν* haec dicit: *ὁ δὲ* (sc. *εὔθυνος*) *λαβὼν τοῦτο* (i. e. *πινάκιον τοῦ ἰδίαν εὔθυναν ἐμβαλλομένου*) *καὶ ἀναγνούς, ἐὰν μὲν καταγνῷ παραδίδωσιν τὰ μὲν ἴδια τοῖς δικασταῖς τοῖς κατὰ δήμους, οἳ τὴν φυλὴν ταύτην δικάζουσιν* etc. Nil obstat, quominus et hunc libellum, ut ceteros a XL viris acceptos et pluris quam X drachmis aestimatos arbitris traditum esse putemus.

3) Similiter Busolt p. 271. His in rebus falsa apud Aristotelem imago exprimitur, quae arbitros cum XL viris tam arte coniunctos exhibet, ut, quae ratio inter eos et ceteros magistratus intercesserit, concludere nullo modo possemus, nisi alterum auctorem haberemus Demosthenem. Aristoteles autem haec omnia non satis perspexisse videtur, quippe qui ne publicas quidem causas a privatis distinguere operae pretium duxerit.

4) Ideo corrigenda sunt Lipsii verba in D. att. Proc.[2] p. 48.

§ 11.

Qua ratione lites apud arbitros actae sint. De provocatione ad iudices.

De ratione lites apud arbitros agendi Meier p. 56 sq. et accuratissime Hubert (p. 42 sq.) disputaverunt. Veritus igitur, ne totam rem hoc loco retractare inutile sit, nihil nisi ea, quae ex Aristotelis cap. LIII § 2 afferenda sunt, addere constitui.

Aristotelis autem verba sunt haec: *Οἱ δὲ* (sc. *διαιτηταὶ*) *παραλαβόντες, ἐὰν μὴ δύνωνται διαλῦσαι, γιγνώσκουσι, κἂν μὲν ἀμφοτέροις ἀρέσκῃ τὰ γνωσθέντα καὶ ἐμμένωσιν, ἔχει τέλος ἡ δίκη.*

Hic subsistere liceat. Adhuc enim inexploratum erat, etiam publicos arbitros, antequam iudicarent, litigantes inter se conciliare conatos esse[1]). Conciliandi studium apud privatos arbitros in usu esse rati homines docti publicos arbitros iudicibus propiores esse censuerant[2]). Ceteras formulas in *συνόδοις*[3]) arbitrorum usitatas Aristoteles praeterit. Quae deinde dicit, ad provocationem pertinent: *Ἂν δ' ὁ ἕτερος ἐφῇ τῶν ἀντιδίκων εἰς τὸ δικαστήριον, ἐμβαλόντες τὰς μαρτυρίας καὶ τὰς προκλήσεις καὶ τοὺς νόμους εἰς ἐχίνους, χωρὶς μὲν τὰς τοῦ διώκοντος χωρὶς δὲ τὰς τοῦ φεύγοντος, καὶ τούτους κατασημηνάμενοι καὶ τὴν κρίσιν τὴν τοῦ διαιτητοῦ γεγραμμένην ἐν γραμματείῳ προσαρτήσαντες παραδιδόασι πάλιν τοῖς τὴν φυλὴν τοῦ φεύγοντος δικάζουσιν.* De capsulis illis vel *ἐχίνοις* praeter Demosthenem grammatici nos dudum docuerant[4]). Meier falso de una urna cogitaverat. Quae Hubert (p. 44/5) adversus hanc sententiam protulit, nunc Ar. l. c. confirmantur. Duas urnas fuisse putandum est, quae omnibus in litigantium conventibus praesto erant; certantium uterque singula litis documenta iniciebat, simulatque prolata et ab arbitro cognita sunt, ita ut ante sententiae pronuntiationem omnia, quae in provocatione ad iudices usui esse poterant, ibi continerentur. Tum sententia dicebatur et, si alter litigantium se provocaturum esse pronuntiabat, id quod illico faciendum erat, universa documenta urnis in actione usitatis exempta et denuo, ne quid deesset, perlustrata novis urnis condebantur. Alteri urnae, rei puto, arbitrium litteris mandatum annectebatur. Sic obsignatae ad eum magistratum, qui causae *ἡγεμών* erat, redibant. Si neuter certantium ad

---

1) Lipsius, Berichte etc. p. 59.
2) Cf. Meier, p. 27; Hubert p. 42 § 8.
3) Dem. 47, 14.
4) Dem. or. 39, § 17; or. 54, § 27; (Dem.) or. 47, § 16; Pollux. VIII, 127 (locus mutilatus); Suid. et Photius s. v. *ἐχῖνοι*; Harp. s. v. *διαιτηταί*; Cf. Hubert, p. 44 sq.

iudices provocaverat, id quod raro factum esse e (Dem.) or. 40 (adv. Böot.) § 31 Hubert (p. 47) conclusit, sua utrique documenta reddebantur. Arbitrium nulla provocatione solutum, archontibus eodem die subscribendum dabatur, ut ratum fieret. Omnia autem arbitria ab eo magistratu, cuius ad forum pertinebant, priusquam ad archontes venirent, subscripta esse verisimile est, sed certa documenta non exstant. Haec quamvis ab Huberti sententia multum differant, ex Aristotele colligere licet.

Sed nunc, quae, ne sensus interrumperetur, brevi exposui, oratorum et grammaticorum locis comparatis accuratius probare suscipiam.

Ac primum quidem Hubert (p. 45), qui provocationem ab arbitris ad iudices non eadem cura, qua cetera, tractavit[1]), contra Meierum (p. 28) contendit, litis instrumenta semper in urnis condita et obsignata esse, sive provocatio fieret sive non fieret. Haec sententia non modo Aristotelis verbis, qui *ἐχίνους* nisi provocatione facta non obsignatos esse aperte dicit, refutatur, sed etiam cum Harpocrationis adnotatione s. v. *διαιτηταί*, iam pridem nota, coniungi nullo modo potest. Apud illum enim haec leguntur: *καὶ εἰ μὲν ἤρεσκε τοῖς ἀντιδίκοις, τέλος εἶχεν ἡ δίκη· εἰ δὲ μή, τὰ ἐγκλήματα καὶ τὰς προκλήσεις καὶ τάς μαρτυρίας, ἔτι δὲ καὶ τοὺς νόμους καὶ τὰς ἄλλας πίστεις ἑκατέρων ἐμβαλόντες εἰς καδίσκους καὶ σημηνάμενοι παρεδίδοσαν τοῖς εἰςαγωγεῦσι τῶν δικῶν.* Grammaticus accurate distinguit (*εἰ δὲ μή*) inter simplicem litis finem, si arbitri sententia utrique certantium placebat, et obsignationem *ἐχίνων*, si provocatio facta erat. Idem sensus e Pollucis (VIII, 127) verbis, quamvis mutilata sint, elucet. Sed praeter veterum testimonia ipsa probabilitas eandem sententiam defendit. Cui enim bono erant documenta certamine finito, praesertim cum Athenis eandem causam plus quam semel agere lege vetitum esset? In aliis autem causis postea agendis certe non multum proderant. Nam ut Romani summa diligentia causas praecedentes inter se similes conferebant, ita Graeci scientiae iuris parvam operam impertiverunt. Inutile erat exempla et documenta cumulare, quibus nemo uteretur.

Sed obstare videtur, quod actio *μὴ οὔσης*, si quis absens ab arbitro condemnatus erat, intra decem dies post dictam sententiam institui poterat[2]). Quid ergo, si documenta non aderant? Hoc sane esset aliquid, si ad actionem *μὴ οὔσης* litis documenta necessaria fuissent. At hoc unum quaerebatur, num condemnatus iusta de causa arbitrii die afuisset. Si hoc videbatur, res in in-

---

[1]) Idem vituperat Landwehr in Wochenschr. f. klass. Philol. III, p. 251/2.
[2]) Cf. Poll. VIII, 60. Photius s. v. *μὴ οὖσα δίκη*.

tegrum restituta et ab eodem arbitro instructa est, qui *τὴν μὴ οὖσαν* acceperat.

Quae quidem coniectura simplicior est, quam Huberti de altero libello accusatorio tertioque arbitro sententia (p. 49). Neque Isaei or. 12 § 11 nostrae sententiae obstare censeo. Quae si minus placeant, non recusem concedere, si quis absens ab arbitro condemnatus esset, etiam tum *ἐχίνους* obsignatos esse, si forte *μὴ οὔσης* actione instituta litis documenta desiderarentur. *Ἔφεσις* autem sententia pronuntiata illico fiebat; quae si postea fieri potuisset, certe *ἐχῖνοι* obsignari debebant, ut litis instrumenta in omnes eventus integra conservarentur. Documento sunt non solum Aristotelis verba supra citata, sed etiam quae in (Dem.) or. 40 (adv. Böot.) § 31 legimus. *Ἔτι δὲ πάντες ὑμῖν οἱ πρὸς τῷ διαιτητῇ παρόντες μεμαρτυρήκασιν, ὡς οὗτος παρών, ὅτε ἀπεδιῄτησέ μου ὁ διαιτητής, οὔτε ἐφῆκεν εἰς τὸ δικαστήριον, ἐνέμεινέ τε τῇ διαίτῃ.* Haec omnia luce clariora sunt. Ex eo, quod Böotus praesens repulsus non illico provocavit, donec testes aderant, orator eum omnino non provocasse argumentatur. Böotus autem hac in lite non reus fuit sed accusator [1]). Concidunt igitur, quae Hubert (p. 47) ex eiusdem orationis § 55 de provocatione accusantis conclusit. Ibi enim haec leguntur: *καίτοι οὐκ ἴσος γ' ἡμῖν ἐστιν ὁ κίνδυνος, ἀλλ' ἐμοὶ μέν, ἐὰν ὑμεῖς νυνὶ ὑπὸ τούτων ἐξαπατηθῆτε, οὐκ ἐξέσται ἔτι δικάσασθαι περὶ τῆς προικός· τούτους δ', εἴ φασιν ἀδίκως ἀποδιαιτῆσαί μου τὸν διαιτητὴν τὰς δίκας* [2]), *καὶ τότ' ἐξῆν εἰς ὑμᾶς ἐφεῖναι, καὶ νῦν ἐκγενήσεται πάλιν, ἐὰν βούλωνται, παρ' ἐμοῦ λαβεῖν ἐν ὑμῖν τὸ δίκαιον.* Haec (Dem.) verba mirum in modum ab eis, quae supra rettulimus, discrepant. Quis enim dicere potest *ἐμμένειν τῇ διαίτῃ* de eo, cui postea provocare in animo est? Contraria haec quidem neque ullo modo coniungenda. Itaque Hubert erravit, quod hac sententia nisus, illa neglecta contendit, accusanti diem non dictam fuisse, antequam provocaret. Sed aliter rectius hunc locum interpretabimur [3]).

Ad *ἐκγενήσεται* non *ἐφιέναι* sed *λαβεῖν τὸ δίκαιον* construendum est, idemque ad *βούλωνται* supplendum. Non de provocatione sed de alia actione a Böoto intenta [4]) Mantitheus loquitur; qua si vinceretur, etiam si nunc superior discessisset, damnum non minus sibi imminere [5]).

Ἔφεσις igitur et accusantis et rei illico fiebat, et tum demum, si intenta erat, *ἐχῖνοι* obsignabantur.

---

[1]) Cf. (Dem.) or. 40 § 30.

[2]) *τὰς δίκας* corruptum esse videtur.

[3]) Et Hudtwalcker parum recte de eodem loco disputat (p. 120, adn. 62).

[4]) Cf. § 17 eiusdem orationis.

[5]) Consulto autem orator rem obscurat, quo magis iudicum animos commoveat.

Sed ei ἐχῖνοι, qui provocatione facta obsignabantur, ab illis diversi fuisse videntur, qui in synodis arbitrorum praesto erant, ubi litigantium documenta conderentur. Quod non solum ultimo in conventu ante sententiae pronuntiationem, ut Hubert[1]) sibi fingere videtur, fieri poterat, sed omnibus diebus, quibus partes apud arbitrum ad causam instruendam (ἀνάκρισιν) conveniebant[2]). Singula documenta, simulatque allata et ab arbitro cognita erant, in ἐχίνους iniciebantur. Inde dicebatur μαρτυρίαν ἐμβαλέσθαι[3]) = μαρτυρεῖν i. e. testimonium praestare et statim in echinum alterius partis inicere vel iniciendum curare. Eos autem echinos arbitros clausisse et custodivisse consentaneum est. Sed cum auctores nostri in eo consentiant, ut provocatione facta et documenta in echinos iniecta et echinos obsignatos esse doceant, hos echinos alios esse ac eos, quos supra dixi, efficitur. Itaque si alter certantium provocaverat, litis instrumenta ex illis cotidie usitatis eximebantur et denuo, ne quid deesset, perpiciebantur. Tum novis echinis condebantur. Sin provocatio non fiebat, arbiter utrique documenta sua reddebat, isdem autem echinis et in aliis causis utebatur.

Quod vero ad ὑπογραφὴν τῆς διαίτης attinet, ne id quidem Huberto[4]) assentiri possum. Habemus adnotationem Ulpiani grammatici ad Mid. § 85 (p. 542, 2): ἔδει τὴν διαιτηθεῖσαν δίκην ὑπογραφῆναι παρὰ τῶν ἀρχόντων. Hubert, cum supra dixisset, arbitrium litteris conscriptum a magistratu subscriptum esse, ex his verbis concludere voluit, a magistratu demum arbitrium litteris mandatum esse. Quod mihi ne tum quidem placeret, si Aristoteles rem praeteriret. Nunc autem dicit, arbitrum sententiam suam γραμματείῳ inscripsisse et alteri echino (fortasse rei) annexisse[5]). Sic res ad ἡγεμόνα[6]) (vel εἰσαγωγέα; cf. Harp. s. v. διαιτηταί) rediit ad iudices heliasticos ferenda. Hoc fiebat, si certantium alter ad provocationem confugerat. Quam magistratui, non arbitro renuntiatam esse Huberto probabilius visum est. Sed si recta sunt, quae supra disputavimus, arbitro ἔφεσις illico nuntiabatur. Magistratus, cum arbiter echinos et arbitrium subscribendum traderet, de provocatione certior fiebat. Eiusmodi causa nondum

---

[1]) p. 44.
[2]) Dem. or. 49 § 65 aliter explicari non potest. Cf. D. att. Proc.² p. 903/5, imprimis p. 904.
[3]) Dem. or. 27 §§ 51, 54 etc.
[4]) p. 44.
[5]) Aristoteles προσαρτήσαντες absolute dicit.
[6]) Aristoteles cap. 53 parum accurate pro omnibus ἡγεμόσιν solos XL viros nominat.

finita subcriptionem archontum certe non poscebat. Sed longe aliter res se habebat provocatione non facta, documentis litigantibus redditis. Tum causae finis impositus erat, tum archontes sententiam arbitri sine dubio *ἡγεμόνι* antea ostentam ab eoque subscriptam eodem die nomine suo sanciebant. Idem servari solitum esse videtur, si quis ab arbitro absens condemnatus erat, cum intra decem dies, velletne provocatione uti, incertum esset. Huc pertinent illa Ulpiani verba supra citata. Apud Demosthenem [1]) Strato arbitrium in causa *κακηγορίας*, quae ad forum XL virorum pertinebat, pronuntiatum eodem die archontibus reddit. Eis Midias condemnatus persuadere studet, ut arbitrium in formam sibi prosperam transscriberent et subscribendo ratum redderent.

Eodem die etiam echinos magistratibus tradendos fuisse manifestum est, quamvis saepe eam legem laesam esse existimem, cum accideret, ut hora arbitrii a partibus litigantibus usque ad multam noctem retardaretur[2]). Cum ergo tempus deesset ad magistratus, qui vespere domum redierant, adeundos, diem insequentem expectare necesse erat.

Haec fere de subscriptione arbitrii dicenda sunt; sed intermittentibus fontibus antiquitatis periculum est, ne coniecturis nimium spatium concedatur. Nunc singula quaedam adicere liceat.

A iudicio XL virorum in rebus minoris quam X drachmis aestimatis provocatio non patebat. Quod Hubert (p. 37) contra Meierum (p. 19/20) obtinuit[3]).

Idem Aristotelis verbis comprobatur, quae cap. 53 § 2 leguntur: *καὶ τὰ μὲν μέχρι δέκα δραχμῶν αὐτοτελεῖς εἰσι κρίνειν, τὰ δ'ὑπὲρ τοῦτο τὸ τίμημα τοῖς διαιτηταῖς παραδιδόασιν.*

Etiam de numero iudicum heliasticorum, qui res ad forum XL virorum pertinentes provocatione facta iudicabant, Aristoteles (cap. 53, 3) nos docuit his verbis: *οἱ δὲ*[4]) (sc. *οἱ τὴν φυλὴν τοῦ φεύγοντος δικάζοντες*) *παραλαβόντες εἰσάγουσιν εἰς τὸ δικαστήριον, τὰ μὲν ἐντὸς χιλίων εἰς ἕνα καὶ διακοσίους, τὰ δ'ὑπὲρ χιλίας εἰς ἕνα καὶ τετρακοσίους*[5]). Scimus igitur, quot iudices in causis Aphobi, Timothei, Böoti, Spudiae fuerint. Quae omnes causae pluris quam mille drachmis aestimatae erant.

Aristoteles tum sic pergit: *Οὐκ ἔξεστι δ'οὔτε νόμοις οὔτε προσκλήσεσι οὔτε μαρτυρίαις ἀλλ'ἢ ταῖς παρὰ τοῦ διαιτητοῦ χρῆσθαι ταῖς εἰς τοὺς ἐχίνους ἐμβεβλημέναις.* His verbis nihil novi continetur,

---

1) Mid. § 85.
2) Cf. Dem. or. 54 (adv. Con.) § 26.
3) Cf. Lipsius, D. att. Proc.² p. 93, adn. 148.
4) *Οἳ δὲ* falso in ed. G. Kaibel et U. de Wilamowitz-Möllendorff legitur.
5) Cf. Lipsius, Berichte etc. p. 56. Busolt p. 271/2.

nam illud praeceptum iam pridem notum erat. Cf. Hudtwalcker p. 129, Meier p. 28, Hubert p. 44, qui praecipue Dem. or. 39 (adv. Böot.) § 17 nitebantur: *ταῦτα δ'εἰ μὴ σεσημασμένων ἤδη συνέβη τῶν ἐχίνων, κἂν μάρτυρας ὑμῖν παρεσχόμην.* Grammatici rem praeterierunt.

In Pollucis[1]) de provocationibus adnotatione, quam Hudtwalcker[2]) primus explicavit, etiam haec leguntur: *τὸ δὲ παρακαταβαλλόμενον ἐπὶ τῶν ἐφέσεων, ὅπερ οἱ νῦν παραβόλιον καλοῦσι, παράβολον Ἀριστοτέλης λέγει.* Hubert nescio quo pacto hanc *παρακαταβολήν* in omnibus provocationibus, ergo etiam adversus arbitros factis, usitatam neglexit. Apud Aristotelem vero nomen *παράβολον* non inveni. (Cf. Bonitz, Ind. Aristot.)

§ 12.

De XL virorum et arbitrorum institutionis tempore et de muneris eorum incrementis.

Quae adhuc de XL viris cognitum habebamus, maximam partem e grammaticis[3]) hausta erant. Nunc fons grammaticorum, Aristotelis de const. Ath. liber, repertus est. Is haec praebet: *κληροῦσι δὲ καὶ τοὺς τετταράκοντα, τέτταρας ἐκ τῆς φυλῆς ἑκάστης, πρὸς οὓς τὰς ἄλλας δίκας λαγχάνουσιν· οἳ πρότερον μὴν ἦσαν τριάκοντα καὶ κατὰ δήμους περιιόντες ἐδίκαζον, μετὰ δὲ τὴν ἐπὶ τῶν τριάκοντα ὀλιγαρχίαν τετταράκοντα γεγόνασιν.* Si Harpocrationem, qui Aristotelem auctorem nominat, cum ipso Aristotele comparamus, verba *μετὰ δὲ τὴν τῶν τριάκοντα ὀλιγαρχίαν τετταράκοντα γεγόνασιν* apud illum desideramus. Pro eis nihil nisi *εἶτα* supponit, summatim locum exscribens. Pollux vero non contentus eis, quae Aristoteles tradit, causam manifestam addit, cur XXX virorum numerus auctus sit: *μίσει τοῦ ἀριθμοῦ τοῦ τριάκοντα.*

Quo vero tempore et a quo pagorum iudices instituti essent, non minus incertum erat, quam arbitrorum institutionis tempus etiam hodie est. Quis autem non miratur, quod Aristoteles tam accurate ad illam quaestionem respondet! Nam inter vehementissimas partium seditiones et gravissimas rerum publicarum com-

---

1) VIII, 62/3.

2) p. 119 sq.

3) Pollux VIII, 100. Harpocr. s. v. *κατὰ δήμους δικαστάς.* Phot. s. v. *τετταράκοντα.* Lex. Segu. (Bekk. Anecd.) 306, 310.

mutationes etiam XL virorum bis meminit, ut quando primum, quando iterum instituti sint, comperiamus. Hos autem locos dico: Cap. 16, 4: *ἅμα δὲ συνέβαινεν αὐτῷ* (sc. *Πεισιστράτῳ) καὶ τὰς προσόδους γίνεσθαι μείζους ἐξεργαζομένης τῆς χώρας· ἐπράττετο γὰρ ἀπὸ τῶν γιγνομένων δεκάτην· διὸ καὶ τοὺς κατὰ δήμους κατεσκεύασε δικαστὰς καὶ αὐτὸς ἐξῄει πολλάκις εἰς τὴν χώραν ἐπισκοπῶν καὶ διαλύων τοὺς διαφερομένους, ὅπως μὴ καταβαίνοντες εἰς τὸ ἄστυ παραμελῶσι τῶν ἀγρῶν.* Pisistratus igitur pagorum iudices instituit[1]) eo consilio, ut rustici agros quiete exercerent et procul ab urbe manerent, cum lites eorum privatas et ipse tyrannus et XXX viri pagos peragrantes diiudicarent. Nec enim, ut aequum et certum ius assequerentur, in urbem ire cogebantur, nec eis ad rem publicam accedere in mentem veniebat. Nam plebem inertem et novarum rerum cupidam in urbem contrahere Pisistratus tyrannidi periculosum pestiferumque existimabat. Numerus iudicum *κατὰ δήμους* iam illis temporibus XXX fuit, id quod ex altero Aristotelis loco intellegitur.

Cap. 26, § 3: *ἔτει δὲ πέμπτῳ μετὰ ταῦτα ἐπὶ Λυσικράτους ἄρχοντος*[2]) *οἱ τριάκοντα δικασταὶ κατέστησαν πάλιν οἱ καλούμενοι κατὰ δήμους.* Si triginta viri Lysicratis anno rursus instituti sunt, et primum triginta fuisse consentaneum est. Quando autem aboliti sint, quamquam Aristoteles omisit, sine difficultate cognoscere licet. XXX viri a Pisistrato tyranno instituti cum tyrannide evanuerunt[3]). Sed sexaginta fere annis post, cum pagorum iudices restituerentur, non solum numerus servatus est, sed ne ratio quidem muneris fungendi mutata est. Sic Aristotelis verba optime explicantur. Nam ad Pisistrati institutionem solam pertinere non possunt, quae ibi legimus: *οἳ πρότερον μὲν ἦσαν τριάκοντα καὶ κατὰ δήμους περιιόντες ἐδίκαζον.* Immo plus inde mihi concludendum videtur, ut inter se oppositos esse dicam XXX viros pagos peragrantes et XL viros, numero ab Euclide aucto, in urbe iudicantes, etsi Aristoteles supremum membrum oppositionis omisit. Haec Lipsii[4]) sententia est, qui ab Euclidis anno conventus rusticos haberi desitos esse putat. Eadem fere antea[5]) e Lysiae or. 23 adv. Pankl. § 2 concluserat, anno non definito, cum ab auctoribus destitueretur.

Haec de historia XL virorum afferenda erant; nunc quid inde de arbitrorum institutione colligere liceat, quaeramus.

---

1) Iniuria R. W. Macan (Journ. of Hell. Stud. XII. 1, p. 38) hoc loco de Aristotelis fide dubitat.

2) a. 453/2 a. Chr. n.

3) Cf. Kenyon ed.² p. 129.

4) Berichte etc. 1891 p. 56.

5) D. att. Proc.² p. 93 adn. 148.

Arbitros privatos praetermitto, quippe qui vetustiores sint, quam ut originem eorum investigare possimus. Antiquitus enim Atheniensibus morem fuisse puto, ut in levioribus causis privatis rem ad aequos viros iudicandam deferrent. Quam privatorum consuetudinem etiam in civitatum commercio usurpatam esse multi et auctores et tituli testantur. Haec omnia Meier[1]) et Sonne[2]) in unum contulerunt et accuratissime interpretati sunt.

Non minus incertum est, quando illa lex lata sit, quae ab arbitris privatis ad iudices heliasticos provocari vetuit[3]). Nam eam partem illius legis, quae in Dem. Mid. § 94 legitur[4]), non genuinam esse Hubert (p. 22) cum Westermanno[5]) confirmat, quamquam aliquam de arbitris legem exstitisse oratoris ipsius verbis: *λέγε δὲ καὶ τὸν τῶν διαιτητῶν νόμον* satis demonstratur.

Iniuria vero Hubertum offenderunt verba *ἐφ' ἕτερον δικαστήριον*, quae de arbitro mire dicta existimat. Quis enim est, qui hanc linguae Graecae libertatem ignoret, per quam dicere licebat: *οὐκ ἦν χόρτος οὐδὲ ἄλλο δένδρον οὐδέν*. Xen. An. I, 55. *ὑπὸ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν ἄλλων ξένων*. Pl. Gorg. 473. *Γέρων χωρεῖ μεθ' ἑτέρου νεανίου. Ἀρ. ἐκ.* 849 (Krüger, Griech. Sprachlehre, II p. 101, adn. 11). Eadem ratione dici poterat: *[ἔφεσις] ἀπὸ [τοῦ διαιτητοῦ] ἐφ' ἕτερον δικαστήριον*. Hoc excepto cetera, quae ille affert, ut legem spuriam esse demonstraret, mihi quoque persuadent. Bergk[6]) coniecit, ea demum lege ad utrumque arbitrorum genus pertinente a privatorum arbitrorum sententia provocationem interclusam esse. Quae cum demonstrari nequeant in dubio relinquam.

Id vero tempus, quo arbitri publici instituti sunt, angustioribus finibus circumscribi poterit. Nam hoc quidem nemo negabit, ante annum 453/2, quo pagorum iudices rursus instituti sunt, arbitros non fuisse, si eorum meminerit, quae supra de ratione, quae inter XL viros et arbitrorum collegium intercesserit, exposuimus. Nec non verisimile est, causam arbitros instituendi fuisse, quia pagorum iudices triginta numero tot tantisque officiis onerati erant, ut rerum privatarum iurisdictio nimis retardata sit. Itaque primo haud scio an alias causas non acceperint nisi eas, quae ad forum triginta virorum pertinebant. Paulatim et alii magistratus suas causas eis tradere coeperunt. Postremo lege constitutum est,

---

1) p. 29, III. Die Austraegalgerichte bei den Griechen.

2) De arbitris externis, quos Graeci adhibuerunt ad lites et intestinas et peregrinas componendas, quaestiones epigraphicae 1889.

3) Cf. Hubert p. 14.

4) Orator de arbitro publico dicit, lex citata de arbitris privatis. Id Meier (p. 7) grammatici errore explicare conatur, quem errorem Bergk (Z. f. d. A. W. 1849, p. 268) nimium esse dicit.

5) De lit. instr., quae exstant in Dem. or. in Midiam commentatio p. 29.

6) Z. f. d. A. W. 1849, p. 266.

ut omnes causae privatae (paucis, quas supra dixi, exceptis) primo apud arbitros agerentur. Eamque legem Euclidis anno latam esse Hubert (p. 21) et Lipsius[1]) iure ut videntur coniecerunt. Nam res ad arbitros deferri debuisse eis, quae Demetrius Phalereus in lex. Cant. p. 673 profert[2]) luce clarius efficitur; annus Euclidis ad verba Lysiae in fragm. X *πρὸς Ἀρχεβιάδην* optime quadrat. Verba autem Lysiae sunt haec: *ταῦτ' ἐμοῦ προκαλουμένου οὐδὲ πώποτ' ἠθέλησε συνελθεῖν οὐδὲ λόγον περὶ ὧν ἐνεκάλει ποιήσασθαι, οὐδὲ δίαιταν ἐπιτρέψαι, ἕως ὑμεῖς τὸν νόμον τὸν περὶ τῶν διαιτητῶν ἔθεσθε.*

Quem locum varii auctores diversis rationibus interpretati sunt, falso Meier (p. 7/8), Westermann (Berichte über d. V. d. K. S. G. d. W. z. Leipzig I, p. 438), Bergk (Z. f. d. A. W. 1849, p. 268/69), qui omnes censuerunt ea lege arbitros publicos anno Euclidis esse institutos; rectius Schömann in libro, qui inscribitur: Die Verfassungsgeschichte Athens (p. 44)[3]). Hic enim iure negavit ex Lysiae verbis quidquam de institutione arbitrorum colligi posse, sed provinciam eorum hac lege ita amplificatam esse putat, ut etiam Archebiadis causae via ad arbitros ante interclusa pateret; Archebiadem illico causam ad iudices detulisse nec ullis adversarii precibus, ut rem retractaret et arbitris privatis traderet, commotum esse. Hucusque Schömannum, in ceteris Lipsium et Hubertum sequamur. Interim lege praescriptum erat, ut omnes causae, antequam ad iudices ferrentur, a magistratibus arbitris publicis mandarentur. Quae lex etiam ad Archebiadis actionem pertinuit. Ita, quod reus voluerat, quodammodo factum est; res arbitro tradita est, non autem privatis arbitris e compromisso, sed publico arbitro legis iussu.

Minime igitur illa lex impedimento est, quominus arbitros publicos ante Euclidem fuisse coniciamus. Haec sententia etiam cum Andocidis verbis (or. 1 § 88) congruere videtur: *τὰς μὲν δίκας, ὦ ἄνδρες, καὶ τὰς διαίτας ἐποιήσατε κυρίας εἶναι, ὁπόσαι ἐν δημοκρατουμένῃ τῇ πόλει ἐγένοντο*[4]). Hoc loco de arbitris vetustiorem apud oratores non habemus.

Sed si Euclidis anno arbitros publicos institutos esse putaremus, plura in hunc unum annum cumularemus, quam ferre posset: XXX virorum numerum auctum, munus in urbe inclusum, arbitros institutos legemque latam, quae omnes res privatas primo ad illos deferri iuberet. An omnes res humanas a parvis principiis

[1]) D. att. Proc.[2] p. 1012. Cf. Berichte etc. 1891, p. 58; Cf. Ar. *Ἀθ. πολ.* c. 53, § 2.

[2]) Lex. Cant. l. c. *καὶ ἔκειτο νόμος μὴ εἰσάγεσθαι δίκην, εἰ μὴ πρότερον ἐξετασθείη παρ' αὐτοῖς τὸ πρᾶγμα.*

[3]) Idem antea in Philologo (I. p. 728 sq.) minore fiducia Meiero repugnaverat.

[4]) Cf. Hubert p. 21.

paulatim crescere et augeri videmus, arbitrorum munus ab initio idem mansisse putabimus? Immo gradatim auctum esse consentaneum est.

Primo enim arbitri res XXX virorum solas, paulatim et aliorum magistratuum (per XXX viros) acceperunt; Euclidis anno lege iussum est, quod antea permissum erat.

Sed his omnibus coniecturis ad tempora, quibus arbitri instituti sint, definienda nihil profecimus, nisi ut extremos eorum fines (453—403 a. Chr. n.) poneremus.

At fortasse plus assequemur, si deliberaverimus, quid spectantes Athenienses publica arbitria instituerint.

Ac primum quidem magistratibus, imprimis pagorum iudicibus, magna pars nimii oneris anacrisi ab arbitro suscepta sublevata est. Tum minore cives pecunia insumpta ius sibi comparare poterant, cum *πρυτανείοις* remissis sola *παράστασις* (1 drachma) eis solvenda esset[1]). Adde quod ingentes rei publicae sumptus ad constituenda iudicia heliastica minuebantur. Sed haec exspectatio auctores legis fefellit. Nam provocandi usus in dies percrebuit, nec facile uterque litigantium sententia arbitri contentus erat.

Haec omnia ad eiusmodi tempora quadrare videntur, quibus litigandi cupiditas publice provecta etiam apud inferiorem plebem crescebat, cum opes et civium et rei publicae sensim dilaberentur. Ea tempora fuerunt, cum Pericle mortuo populi dominatio degenerabat et bello Peloponnesiaco divitiae Atheniensium exhauriebantur. His temporibus, post Periclis mortem et ante pacem Lysandri, arbitros institutos esse putaverim.

Quando autem evanuerint e lex. Cant. concludere licet. Ibi enim s. v. *μὴ οὖσα δίκη* (p. 673) et alia et haec leguntur: *κατ' ἐνίους δὲ ἡ ἀντίληξίς ἐστιν, ὅτῳ ἀντιλαχεῖν ἐξῆν. καὶ μετέγραψαν ἢ ὅλως ἐκ τῶν λόγων ἀνεῖλον. τούτου δὲ αἴτιον ἡ τοῦ ἔθους ἔκλειψις, ἀνῄρηται γὰρ μετὰ τῶν διαιτητῶν ἡ ἀντίληξις.* Hunc locum et Meier (p. 29) et Hubert (p. 57) ita interpretati sunt, ut arbitros non multo post illam clarissimorum oratorum aetatem abolitos esse dicerent. Postremum de arbitris testimonium e Demetrii Phalerei temporibus in lex. Cant. l. c. nobis servatum est.

Haec de arbitris Atheniensium publicis dicenda putavi. Quae si non solum nova sed etiam vera esse videbuntur, id mihi summum laboris praemium esto.

---

[1]) Cf. Thumser p. 591.

INDEX.